



Antiqvae Lectionis Tomus ...

Bipartitvs, In Qvo L. Vetera Monvmenta, Nvnqvam Visa, Pavclis Exceptis -
Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

3. Gulielmi de Baldensel Equitis Aurati Hodœporicon in terram sanctam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](#)

Nobilissimi
GVILIELMI
DE
BALDENSEL
EQVITIS AVRATI

Hierosolymitani
HODOEPORICON

A D
Terram Sanctam

Anno 1336.

ipso scriptum, rogatu

Thalayrandi Comitis Petragoricensis,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis

V N A C V M
E P I S T O L A A D
Petrum Abbatem Aula Regia

Cisterciensis Ordinis

Dioecesis Pragensis.

Nunc primum editum ex m. s. codice
Admodum Reuerendi & Cl. V.

Matthia Eberbergeri, S. Theologia Doctoris
et Ecclesiae Collegiate ad SS. Iacobi et Tiburii
Straubingae Decani.

MJSJ
SIV
27

B Eramantissimo Patri, ac Domino
suo, Domino PETRO, ABBATI
AVLAE REGIAE, CISTERCIEN-
SIS ORDINIS, PRAGENSIS DIOCE-
ESIS, GUILIELMVS DE BAL-
DENSEL, MILES IN COELESTI HIERVSA-
LEM, iocundari perpetuò vnà secum,

Accepti beneficij immemor esse nolens, mē
te reuoluo sedula, beneficiorum, & curialitatum
opera, quæ in anno præterito in domo vestra,
AVLA REGIA, hilariter & benignis affectibus,
plus quam duobus mensibus, mihi & meæ fami-
liae ostendistis. Et volente Domino eisdem exhibi-
tionibus, cùm ad vos reuersus fuero, gratuitè
& omni studio respondebo.

Et nunc quidem apud Dominum meum,
Dominum THALAYRANDVM PETRAGO-
RICVM, TITVLI S. PETRI AD VINCULA,
PRESBYTERVM CARDINALEM, IN CVRIA
AMMONIS moram facere me adhuc oportet
amplius, quam *eò quod Dominus meus mul-
tum fuit de meo aduentu, de sua gratia, iocunda-
tus, & negotia mea omnia, de quibus apud vos
exis-

* fort. cen-
sum dies,
nam des-
derari vi-
deatur ali-
quid. nihil
autem in
m.s. inter-
cedit inter-
vocabula
Quam, &
eò quod.

existens dixeram vobis, ad finem iam disponit
& ordinat præoptatum.

His finitis, per COLONIAM AGRIPPINAM,
propter quædam negotia ibidem determinâda,
rediens ad vos, in AVLAM REGIAM reuertar,
(volente Domino) perpetuò permâsurus. Tra-
hit me ad vos amor vestri: allicit me dulcissima
habitatio domus vestræ, & præcipue vestrorum
deuotio filiorum, & nil me retrahere poterit, nisi
mors sola.

Veruntamen libellum meum, quem ad instâ-
tiam præfati Domini mei CARDINALIS de sta-
tu TERRÆ SANCTÆ compilauí, vobis, vt ro-
gasti, & egopromisi, per FRANCISCVM CRI-
STAM, DE PRAGA, seruitorem meum, transmit-
to, in signum maximi mei desiderii & amoris, vt
interim de terra sancta aliqua legatis in litteris; &c
ego cum venero, vbi necesse fuerit, verbis lucu-
lentius explanabo.

Christus vos custodiat in æternum. Datum
Ammoniæ, Anno Dom, M, CCC, XXXVII.
in die S. Michaëlis.

N IN.

A.J.S.I.I
m. b.
S IV
27



INCIPIT PROLO-

GVS IN LIBRVM DE QVI,

BVSDAM PARTIBVS VLTRA-

marinis, & præcipue de Terra sancta.

Psal. 47. **I**CVT audiuimus, sic & vidimus in ci-

uitate Domini virtutum, in ciuitate
Dei nostri, Deus fundauit eam in a-

ternum. Quamuis Domini sit terra & pleni-
tudo eius, orbis terrarum & uniuersi qui ha-
bitant in eo, tamē HIERUSALEM ciuitas Dei
specialiter dicitur, & termini eius, hereditas
Domini singulariter appellatur; quia priuile-
gio gratia salutaris haec partes à Deo präelectae
sunt filii ab ipso adoptatis heredibus à prin-
cipio repromissa, & tandem deuota, tāquam pa-
terna hereditas, liberè possidenda.

Elegit enim Dominus Sion: elegit eam in
habitationem sibi; in tantum, ut expreße sub-

Psal. 131. iunxerit; Hec requies mea in faculum faculi;
hic habitabo, quoniam elegi eam. Quia licet
spī-

PROLOGVS.

59

spirituales substantia loco non circumscriban-
tur, & insuper Deus nec loco terminetur: illic
tamen potissimum esse dicuntur; & ideo partes
ipsis maximè deputantur, ubi, & in quibus o-
perationes & effectus virtutum ipsarum ma-
gis contigerit apparere.

Vnde quia diuinitatis opera, tam tempore
iuris naturalis, quam Mosaica legis, & gra-
tia Euangelica in predictis partibus ultra
naturæ cursum humano generi ad salutem profi-
cua, gratiosè à Deo sunt exhibita; ita ut non
immerito nomen hereditatis sortitæ sint; & ip-
sas inhabitasse Deum singulariter, & inhabi-
tatum etiam mirabiliter in fine seculi, profi-
temur.

Cum igitur tanto perfectiores simus, quan-
to magis Dei imitatores sumus, & præcipue
Christi Iesu, qui ad hoc missus est, ut ipsius,
quantum possibile est, vestigia sequamur fa-
cta; civitatem predictam & terram, in qua
verbum caro factum est, filius quoq; DEI vi-
sus est, & cum hominibus conuersatus est, ex
corde pra cunctis aliis terris affectuosisima elec-
tione prædiligere debemus, & cum Prophetæ

N 2 con-

M. S. J.
M. b.
S IV
27

continuè dicere, ad ipsam deuotius aspirantes;
Psal.131. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.*

Vnde multi gentilium ante Christi aduentum, & post eum infideles, qui ex scriptura, vel universali fama aliquid discere potuerunt; predicta loca, tanquam singularem Dei domū, & electum habitaculum deuotissimè visitarunt, & continuè visitant. & quasi opinantes quod in his terris nostram salutem. Deus ab initio figuraliter inchoauit, & in fine temporū, velo abducto figura, ipsam feliciter cōsummatis; Christo Dei filio hoc attestante, in cruce, cūm

Ioan.19. diceret: Consummatum est; cūm nihil circa nostram salutem omitteret, sed singula ad ipsam, opportuna remedia cōuenientissime adhiberet.

Et cūmpatria, tanquam generationis principium, ab omnibus naturaliter diligatur, & in tantum diligi debeat, ut secundum sapientis auctoritatem, pugna pro salute ipsius sit utiliter & laudabiliter assumenda; non immerito quilibet Christianus tenetur TERRAM SANCTAM, & à Deo paelectam, ampliori amore, quam propriam patriam diligere. Quia sicut

gene-

PROLOGVS.

101

generatio in Esse natura; sic ex illa omniū no-
strum proceſſit generatio in Esse gratia, nobisq;
obeaſſet generatio, ſi regeneratio non adeffet.

Vnde commune eſt Christianorum, ut dili-
gamus communiter Christianos, ſcientes, quod
commune bonum, diuinius appetibilius exiſtit
affectui ordinato. Vnde Prophet a nos singu- Pſal. 121.
lariter hortatur, ut rogemus, qua ad pacem
ſunt Hierusalem, & cetera, qua ſequuntur.

Hanc benedictam terram, nobis Christus
moriens mortis testamento reliquit, & ascen- Luc. 24.
dens in cœlum eleuat is ſuper eam manibus, tā-
quam veris filiis Abrahæ, quos Deus ad hanc
terram venire, & inhabitare iuſſerat, confir-
mauit.

Ipsam igitur tanquam patriam & heredi-
tam, ex fide Christi mihi quodammodo debi-
tam, à pueritia viſitare deſiderauī, ut vide-
rent teſtes oculi, qua proposita ſapius erant
auribus, ut cum Prophet a, verba primò Pſal. 47.
proposita poſſem dicere conſidenter; ſicut audio-
imus, ſic & vidimus.

Ilia igitur, qua vidi, & ordinem locorum,
quem mihi cursus peregrinationis mea obtulit,

N 3 diui-

M.S.II
om. B.
S IV
27

*diuina permittente clementia, vobis Pater ac
*DOMINE REVERENDISSIME, fideliter ex-
primam, ut à me vestra preclara ad Deum &
Iem Tha-
layran-*

**Allo-
quitur
Cardina-
lem Tha-
layran-
dum, qui quis fuerit, accipe ex Alfonso Ciacconio : Thalayrandus Comes Petriacensis, Gallus, ex Episcopo Antifiodorensi, presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula tt. S. Eudoxie, postea Episcopus Albanus à Clemente VI. creatus, legatus in Gallias bis, primum cum Guidone Portuense, deinde cum Nicolao Capoccio Cardinale, pro pace inter Reges Francorum & Angliae, Auunculus Caroli Dyrachii Ducis, Ioannis Regis Roberti fratris filii, quem Marie nepti Regis Roberti, Ioanna regina sorori matrimonio iungi procurauit, dispensatione à Clemente VI. obtenta. Hæc Ciacconius lib. de Pontif. geslī in Ioanne xxI. fol.
691. vbi plura.*



L.



*GRESSVS igitur de ALEMANIA, terra nativitatis
mea; & pertransiens LOMBARDIAM, ad litus maris
Mediterranei propè ciuitatem, que NAVVM dicitur,
in ripariis LANVÆ situatam, prosperè perueni.
Vbi galéam benē armatam ascendi, & ad prosequē-
dum iter Ultramarinum, nauta remis & velo solli-
citè insistebant.*

*Dicitur hoc mare, MEDITERRANEVM; quia principalibus mun-
di partibus, scil. ASIAE, AFRICÆ, & EVROPÆ interiacet; ipsas, sc. & suis
brachiis ab invicem separans & distinguens. Habet enim ab occidente
& septentrione EVROPAM, & ad Orientem ASIAM; ad Austrum, A-
PER-*

PHICAM: & uno brachio eius, quo attingit HISPANIAM, & strictum DEMORACH vulgariter dicitur.

Continuatur hoc mare Mediterraneum cum Oceano, mari scilicet maximo, quod orbem circumfluit: altero vero eius brachio, quod HELLESPONTVS dicitur, seu BRACHIVM S. GEORGII, continuatur, quodque nullam habens insulam, unde & maius nuncupatur.

In hoc mari B. CLEMENS PAPA submergitur prope CHERSONESUM, & habitaculum eiusdem, martyri Angelicis manibus preparatur, in modum templi marmorei.

Est autem mare versus Orientem ultra ciuitatem SARA, quam tenet TARTARVS DE AMMONIA, quod CASPIVM dicitur. Hoc nunc OCEANO, nunc mari MEDITERRANEO, nunc PONTICO, aliquo appartenenti brachio copulatur. Afferunt tamen quidam, quod per gurgitem subterraneum, mari PONTICO, quod sibi propinquius est, & per consequens ceteris maribus continuetur. Hoc BRACHIVM S. GEORGII dicitur, quod diuidit EVROPAM & ASIAM minorem, quæ maioris ASIE prouincia est. Hoc brachiū vulgariter BYTIA CONSTANTINOPOLITANA dicitur, eò quod super ipsum in littore EVROPAE, egregia ciuitas CONSTANTINOPOLIS, quæ & NOVA ROMA dicitur, situata sit.

Hæc ciuitas solennissima in optimo mundi loco, tam ratione aeris, quam terræ constructa est; portum habet maximum, & optimum, muris fortissimis cingitur; figuram habet trianguli, cuius duo latera versus mare sunt; tertium versus terram.

In hac ciuitate multæ sunt Ecclesiæ, & fuerunt plures, supra modum pulchre, opere Mosaico, marmoribus, & singulari modo construendi mirabiles: pluraq; sunt palatia pulcherrima in eadem. Tenet tamen principatum in ipsa ciuitate Ecclesia S. SOPHIAE, id est, Sapientiae, quæ Christus est; quam IUSTINIANVS SS. Imperator fundavit, & immutabiliter singularibus prærogatiis decorauit. Credo, quod sub celo, postquam mundus creatus est, non fuit tale & difficultum compleatum, quod huic poterit in nobilitate & magnitudine, ceteris paribus, comparari.

Coram ista pretiosissima Ecclesia, stat imago Imperatoris IUSTINIANI æquissimi, de ære fusâ, imperiali diademe coronata, tota deaurata, maxima quantitatis, manu sinistra, POMVM, quod orbem representat, CRUCE superposita, tenens; dexterâ contra Orientem levans ad modum principibus minas rebellibus imponentis. Statua, sive quæ imago posita est, altissima est, ex petris magnis, & camento fortissimo conglutinata.

Vide Le²
unclavum
in pandect:
hist. Tur-
cicæ c. 128.

M.S. 3
m. 16.
S IV
27

In hac sacra vrbe vidi ex mandato Domini Imperatoris magnam partem CRVCIS Dominicæ, TVNICAM Domini inconsutilem; item SPONGIAM, CALAMVM, & vnum CLAVVM Domini: Corpus B. CHRYSOSTOMI, & plures alias Sanctorum RELIQVIAS venerandas.

Vbi verò hoc brachium deriuari incipit à mari mediterraneo super litrus Asiæ minoris, fuit TROIA, illa antiqua & potens ciuitas constituta. Pulcherrimum locum habebat, & planum, & aspectu versus mare latitudine generosum. Portum bonum non videtur habuisse, sed in quodam fluvio, mare circa ipsam influente, aliqua nauigia poterant conseruari. Propter vetustatem temporis tanta ciuitatis vestigia vix apparent.

Sic igitur prospero nauigio, annuente Deo, ad has partes TROLÆ perueni, postquam de ciuitate NAVLI procedendo per Istrum littora LOMBARDIÆ, ac TVSCLÆ, CAMPANIÆ, CALABRIÆ & APULIÆ, & transiui famosas ITALIÆ insulas, CORSYCAM, SARDINIAM, & SICILIAM. Et postquam transiui sinum, seu mare ADRIATICVM, quod hodiè GULFVS VENETIARVM appellatur, qui sinus tempestuosus est, diuidens ITALIAM & GRÆCIAM in hac parte.

Et postquam circa littora ipsius Græcia nauigando lustrauit ACHIAM ATHENARVM provinciam, Philosophiæ matrem, ac MACEONIAM, ceterasq; GRÆCIAE partes, quæ ROMANIA vulgariter nuncupatur.

Posthæc procedens de TROLÆ partibus, insulas GRÆCORVM, ASIÆ, & littora minoris Asiæ diligenter perlustrauit. Deinde ad insulam CHIO, vbi mastix crescit, & ut dicitur, nusquam aliæ. Gummi est fluens de arboribus parvulis, punctuatur punctura instrumenti in cortice apertis tempore opportuno.

Posthæc perueni ad insulam PATHMOS, vbi ab illo dilectissimo Christi discipulo, liber APOCALYPSIS scribitur, dum in ipsa insula vir sanctissimus effet exilio relegatus.

Posthæc perueni in EPHESVM, vbi beatissimus Apostolus & Evangelista IOANNES decessit & sepultus est. In quo loco supra monumentum eius, pulcherrima & magna Ecclesia constructa est, plumbo coopta, ad modum CRVCIS extensa, opere Mosaico & marmoribus solenniter decorata.

Est autem ciuitas EPHESINA in loco pulchro, forti, & fertili collata, distans à mari ad pauca milliaria. SARACENT, qui TYRCI appellantur, tenent ipsam, & quasi totam maiorem ASIAM, CHRISTIANIS

nis inde expulsis, occisis, & in servitatem redactis; Ecclesiis, (de quibus in Apocalypsi fit mentio) pulcherrimis destructis; nisi quod Eccl esia B. IOANNIS EVANGELISTÆ, in qua sepulchrum eius vidi retrorsum altare, integra conservata, ipsam suo prophano cultui secundum legem MAHOMETI applicarunt.

Et postquam minor ASIA à TVRCIS est capta, nomen pristinum perdidit, & generaliter TVRCIA ab inquis eius inhabitatoribus nominatur.

Inde procedens, multis insulis hinc inde lustratis, (quia valde multæ insulae in hac parte maris sunt, quondam bene habitatae, & diuinitus abundantes, & nunc per TVRCOS plurimam desertæ) perueni in ipsa minori ASIA propè maris littus ad urbem PATARAM, unde B. NICOLAVS traxit originem, & post in MYRRHAM CIVITATEM, ubi diuinum nutu postea fuit in Episcopum electus & ordinatus. Hanc prouinciam ille B. Confessor miraculis innumeris illustravit.

Posthac vidi CRETAM famosam insulam, atque RHODVM insulam, FRATVM HOSPITALIS S. IOANNIS HEROSOLYMITANI, quām viarmorū CONSTANTINOPOLITANO imperio abstulerunt, ubi nūc maiorem conuentum suum tenent, & ipsam caput Ordinis statuerunt. Locus est sanus atque delectabilis, non multum à TVRCIA maris brachio separatus.

Inde processi versus CYPRVM. Hæc insula optimi vini ferax est; unde spongia in canticis sponsum botro CYPRI in vincis ENGADI voluit comparare. Hæc vineæ sunt in CYPRO, propè ciuitatem NICOMOSAM, & hodiè ENGADDIA ab incolis nominantur.

Vina CYPRI crescent rubea, & post annum albescunt; & quanto^{a Sequitur sententiam,} vetriciora sunt, tantò magis albescunt, & redolent; sana sunt, & fortis^{que terria est apud Delium in} sima, & sine multæ aquæ appositione potui vix apta. Est in CYPRO in quodam alto monte apud Monachos S. BENEDICTI, CRYX BONI LATRONIS, & pars CLAVI Domini, & alia RELIQVIA veneranda.

Item in CYPRO est corpus B. HILARIONIS sub custodia Regia in castro, quod GEDAMORS dicitur; & alias sanctus, qui^b ZOZONION appellatur, in ipsa insula, in magna habetur reverentia; cuius caput in cappa regia conferuatur.

Sanctus etiam BARNABAS de ciuitate SALAMINA, siue CON-

CÆSARIA^c Ptolemeo Cypri urbis que Plinio & Polyeno, Salamine. Stephanus eam Constatiam scribit. idem D. Hieron. tradit, & addit eam Traiani Imp. tempore à Iudeis decam, interfelix omnibus eius accolit. Anton. Cœchinus dicit eam sub Ercacio Imp. à Sac-

O STAN-

MSS.
m. b.
S IV
27

racenū captam, funditusq; excisam, neque postea unquam habitatam. Eusebio authore lib. de prep. Euang. Koçovisi antiquissima temporibus vocata fuit. Hodie Famagusta dicitur, ut Niger autem noster Guilielmus Famagustam prop̄ponit. Vide Ortelii thes. Geograph.

STANTIA, nunc delecta, prop̄ FAMAGUSTAM, in CYPRO natus est.

Sunt etiam in CYPRI montibus oves silvaticæ, in pilis similes capreolis & canibus, quæ nunquam aliæ esse perhibentur. Multum velox est animal, bonas carnes & dulces habens. Plures capi vidi existens in venatione, canibus, & maximè domesticis leopardis de Cypro.

In die NATALIS perueni in SYRIAM, me vento prospero per mare salubriter prosequente.

De Syria Phoenicis, ac terra Philistium, &c ciuitatibus maritimis, usq; ad desertum, quod diuidit Syriam & Aegyptum.

PER Erueniens Dei fauente clementia, in SYRIAM applicui ad portum TYRI, qui nunc a SVR vulgariter appellatur.

Estante TYRS antiquissima ciuitas. Nobilissima & famosissima quondam fuit; nunc verò quasi delecta & deserta. Portum verò eius SARACENI custodiunt diligenter. In corde maris sita est, ex omni ferè parte mari circumdata. versus terram erat turribus & muris fortissimis communata.

Huius ciuitatis meminit Propheta in Psal. dicens: Filia TYRI in muneribus, & ab alio Propheta: Institoris eius Principes, negotiatori, reliqui eius, incliti terra dicuntur. & in pluribus locis sacræ paginæ huius ciuitatis fit mentio. per quæ perpendi potest de facilis eius antiqua nobilitate singularis.

Prop̄ b TYRVM est fons hortorum, & PUTEVS AQVARVM VIVENTIVM. De Libano profluente aquæ limpidæ & sanæ, ipsius hortos & territorium irrigantes.

Locus etiam ibidem ostenditur, ubi Dominus fideli CHANAMARTH. 15. NEÆ misertus est, & prop̄ eo loquente ad turbas, sibi dictum est: Beatus venter, qui te portauit, &c.

De

De Tyro, in uno die veni per terram a Sidon, quæ b Surivulgariter dicitur.

Hic famosa ciuitas, & pulchra planitie, situata est supra mare, quæ quondam Christianorum fuit, & antiquitus dicebatur d PROLO-
MAIDA, cuius meminit liber MACHABÆORVM; per SARACENOS de-
structa est; posset tamen de facilis recuperari. Conuenientem portum
habet; per ruinas tamen ciuitatis aliquantulum destruetus est. Et est
villa in SYRIA PHÆNICIS sita, & non in terra promissionis; sicut & TY-
RUS. Per effusionem tantam sanguinis CHRISTIANORVM, in expugna-
tione eius pro fide Christi morientium, consecrata est, tanquam facer-
locus meritò veneranda.

Deinde in diebus 4. per terram veni in GAZAM, ciuitatem quon-
dam f PHILISTHUM; quia circumiacens terra PHILISTHINORVM erat,
& dicebatur antiquitus PALÆSTINA, in qua sunt aliae quatuor ciuita-
tes Philistinorum, quorum meminit liber Regum; nunc in Cafalia
parua, mutatis quodammodo nominibus, sunt redactæ.

Inter ACCON verò & GAZAM prædictam; prope ACCON xix.
... g or millaria supra mare, à dextris est mons CARMELI, non multū
altus, oblongus, desuper planus, multum speciosus & fertilis, habita-
tio S. HELIAE Prophetæ, ubi & ordo CARMELITARVM sumpsit exor-
diuum, plures decuotas Ecclesiæ continens & heremitoria generosa.

In huic montis pede ciuitas erat, quondam Christianorum,
b CAIPHAS nomine, nunc destructa.

Inde transiui CASAREAM PALÆSTINÆ, famosam quondam ci-
uitatem, & castrum peregrinorum famosum, à Christianis olim con-
structam.

Item ciuitatem ASCALONEM, quondam vigorosam.

Item urbe IOPPENSEM vetustissimam; quam IAPHET filius Noë
credidur condidisse.

Hæc loca in ripa maris optimè situata à SARACENIS, miserabili-
ter sunt destructa.

Propè IOPPEN intra terram est pulchra ciuitas, nomine RAMA, censum
ginta milibus Saracenorum solo aquata, e anno 1104. Baldwinus cepit Ptolemaide, Ty-
rim 10, bell. sat. 28. Erigerum anno 1191. Philippus Franc. & Richard. Angl. tertio obsidium
anno. Vuriac. & Herold. f De Gaza una ex S. Sarapin Philistinorum, Adrichom. in Si-
mon 46. g non lego hanc vocem. Iosephus Carmelum à Ptolemaide, que & Accor dici-
tur, ait abefse stadiis 120. Vide Adrichom. in Isachar 19. h Tyro Erosina & Perphyria,
& Capha Ponte, edificata. Adrichom. 16, 17. i Ramatha Sophim. Adrich. in Ephraim 79.

O 2 quæ

a fort. Si-
da qm a in-
ter Tyrum
& Ptole-
maide
est. Adri-
chom. ib.
76.

b Sidon
cur potue-
rit Sur di-
ci, hic non
video. Si-
da potuit;
quia pro-
pingua Tz
ro. Tyrus
autem Sur
dicebatur.

c virtuosæ
m. s. Hec.
Lega Hic,
id est, non
legè à Sida
ad Ptole-
maide,
Suri dice-
batur.

d Vide A-
drichom.
ib. 66. Eff
autem an-
no 1191 à

quæ optimè habitat, locus delectabilis atque sanus.

a AG. 9.
Hieron. in
loc. Hebr.
Tigris &
aut voca-
tani; Iusti-
nianus hic
S. Georgio
templosum
adiscens.

Vide A.
drich. in
Ephraim
64.

b Sappa
vel Saffra
ciuitas in
monte si-
ta, à Na-
zareth
tribus di-
stans mi-
liaribus,
patria Ze-
bedei, Al-
phei &
Iacobi atq.
Ioannu
Ap. in quin-
rum nati-
uitatis loco
pulchra vi-

situm Ec-
clesia. Ioa-
de Monse-
villa c. 4.
& 20. loca.
Patch. in
peregrin.

die 173 A.
drich. Zabulon 83. c

Daron meminit Ezechiel, quo d Symmachus verit in Africum. A
Christianū autem castrum sicut ex adiscatum apud Torrentem, qui dicitur Egypti, & pri-
mam quidem ab Amalrico postea ab aliis auctum sububri. Hieron. in loc. Hebr. VVib, Ty-
rius 20. bell. 29. li. 28. &c. Adrich. in Pharan. 3. fol. 19. d de desertum Pharan de quo Adrich.
ib. fol. 116.

Propè hanc villam à sinistris est ciuitas D I O S P O L I S , quæ simili-
ter habitat, & in Actibus Apostolorum L I D D A dicitur, vbi S. GE-
ORGIVS decapitatus asseritur, & locus peregrini aduenientibus de-
monstratur in Choro Ecclesiæ quondam pulchræ, non multum à
monte C A R M E L I .

A sinistris est villa b S A F F R A M , in quodam monte, vbi beati A-
postoli I A C O B U S & I O A N N E S nati dicuntur; & in loco nativitatis ipso-
rum pulchra est Ecclesia c o n s t r u t a , quam etiam peregrini visitare de-
uoitius confluere.

His visis perueni in GAZAM, quam prius dixeram ciuitatem esse
satis magnam, & benè populatam, à mari aliquantulum elongatam.
Hæc illa est ciuitas, cuius SAMSON portas aportauit, cùm in ea captus
est, super vnum monticulum ciuitati propinquum, & vbi tot millia
P H I L I S T H I N O R V M , palati columnis concusus, & seipsum post exce-
catum mirabiliter occidit, sicut in libro Iudicum legitur.

Post hæc veni ad Castrum D A R V M , quod vltimum occurrit
procedens de S Y R I A in E G Y P T U M .

Et notandum, quod eundo de ACCON per viam hanc, dimisit ci-
uitatem sanctam H I E R V A S E L M à sinistris vix ad 20. millaria, volens
prius videre E G Y P T U M & A R A B I A M , vt obtentis S O L D A N I litteris,
possem in reuersione commodius & securius terræ promissionis loca
sanctissima visitare.

De Deserto, quod diuidit Syriam & Egy- ptum; & de Egypto.

III.

D E Castro ergo quod D A R V M dicitur, processi versus E G Y P T U M .
per desertum arenosum, in septem diebus, in quo deserto est a-
quæ penuria, portanturq. victualia, & alia necessaria in camelis. Sunt
tamen ordinata per S A R A C E N O S cuncta secundum dietas, hospitia;
ibi que inueniuntur necessaria competenter.

Post hæc eveni in E G Y P T U M vbi sunt Casalia pulcherrima, infi-
die 173 A.
drich. Zabulon 83. c

Daron meminit Ezechiel, quo d Symmachus verit in Africum. A

Christianū autem castrum sicut ex adiscatum apud Torrentem, qui dicitur Egypti, & pri-

mam quidem ab Amalrico postea ab aliis auctum sububri. Hieron. in loc. Hebr. VVib, Ty-

rius 20. bell. 29. li. 28. &c. Adrich. in Pharan. 3. fol. 19. d de desertum Pharan de quo Adrich.

ib. fol. 116.

ita, omnibus bonis temporalib[us] abundantia, præterquam in terris
SARRACENORVM.

Per SARACENOS vineæ non coluntur, nec porcos nutriunt; hoc
eis lege, quæ in libro, quem ALCORANVM vocant, scribitur, strixiūs
inhibetur.

Et primò procedens versus BABYLONIAM, veni ad villam fa-
mosam, & magnam, quæ BEL BEIS nominatur.

Post hac, dimidiis super ripam maris, ALEXANDRIA famosissi-
ma ciuitate, & DAMIATA, propter conuenientem portum nauigan-
tib[us] b[ea]tæ nota, perueni ad b[ea]t[er] CADRO & BABYLONIAM, metropolin AE-
GYPTI, ubi est sedes SOLDANI in uno castro pulcherrimo, propè CAI-
RVM.

Hoc castrum in monte est, non alto, sed petroso, longum est, &
valde pulchris palatiis decoratum.

Dicitur, quod continuè pro diuersis ipsius SOLDANI seruitiis, &
custodia eius, morentur in ipso castro circa sex millia personarum,
quibus quotidiè victualia de curia ministrantur; ceteri verò armati,
hoc est, capitani & regentes armorum, equites, in maxima multitudine
sub castro in ciuitatibus commorantur, ordinati sub milenariis, cen-
tenariis, quinquageneriis, & decanis, secundum quod visum fuerit
expidere, quibus per SOLDANVM secundum gradus suos stipendia dif-
fendantur.

Sunt autem CAIRVM & BABYLONIA duæ ciuitates multùm ma-
gnæ, parùm distantes, & quasi contiguæ; maior tamen est CAIRVM,
qua est versus desertū Syr Læ, parùm distans à fluuiio Paradisi NILO.

BABYLONIA verò sita est super ipsum fluuium, sine medio pre-
dicto. Duæ villa populosæ, pulcherrimis edificiis constructæ, plus in-
tus, quam de foris apparent; quia generaliter confueuerunt, non de-
foris, sed intrinsecus ipsarum hospitia marmoribus, tam in pauimen-
tis, quam in parietibus, & opere Mosaico mirabiliter decorare.

Et sciendum, quod hæc BABYLONIA, de qua nunc fit mentio,
non est illa antiqua Babyloniam, in qua regnauit Nabuchodonosor, &
ad quam filii Israël captivi ducti sunt; sed hæc est noua BABYLONIA,
antiqua in nomine, & quodammodo in operibus imitatur.

Quia, ut de ceteris taceam; sicut antiqua filii Israël tunc fidel-
bus maximè fuit infesta, sic & nobis Christianis, veris Israëlitis, hæc
noua BABYLONIA cum suo capite, quod SOLDANVS est, maximè op-

a Tyrias
testatur
Damiata
dißæ eisæ
Belbeim.
Vide A-
drich, in
Pharam
71, fol. 12L
b[ea]t[er] lego, Cai-
ro, Mem-
ph[us] enim
leu Baby-
lonia è re-
gione Cai-
ri est, in-
terfluens
Nilo.

A.J.S.I.S
m. b.
S IV
27

ponitur inter ceteros infideles, ut pote principalis propugnator & dilatator est impia perfidiae Mahometi.

Cuius de dominio ille nequam traxit originem; ibidem primò predicauit, scilicet in deserto ARABIA, hominibus bestialibus & indoctis, legemque diabolica ipsius imposuit, & serpentina astutia decepit, falsisque miraculis, sibi & patri falsitatis ad mendacii colligauit, corpusque ipsius perditissimi Pseudoprophetæ sub SOLDANI diligentissima custodia in ciuitate quæ MECHA dicitur, sita in deserto ARABIA, de BABYLONIA circa 25. dictas, pro maximo sanctuario conseruatur in pulchra ipsorum Ecclesia, quam MVLSCET vulgarter dicunt.

Quod verò pendeat in aere, per virtutem petre, quæ ferrum trahit, id falsò diuulgatur. Est quidem aliás in tumba elcuata & preciosa, ad maiorem ipsius mortui damnationem perpetuam positum, quod SARACENI ex omnibus mundi partibus confluent, peregrinationem ibidem ad suum Prophetam deuotissimam & solennissimam miseri reputantes. Et ob hoc SOLDANVS maximus aduocatus & defensor à SARACENIS ipsorum perfidiae tenetur huius nouæ BABYLONIA, quæ perfida CHRISTIANÆ fidei super omnes errores existit maximè inimica.

Dicitur verò antiqua BABYLONIA ab hac inter Septentrionem & Orientem circa 35. dictas in CHALDÆA, & illius partes dicuntur, qui nunc est CHAN IMPERATOR TARTARORVM de PERSIA. Dicunt quod ciuitas quæ nunc * BALDATVM dicitur, sit ipsa antiqua BABYLONIA, quæ sita est super fluvium EVFRATEM: Alii afferunt propè BALDATVM ipsam fuisse destructam, hoc per ruinas de propè maximè approbatas.

Turris etiam BABEL à filiis NOE incepta fuisse in loco, quod in quo asseritur, ubi humanū labium confusum est, locus nunc desertus dicitur, & quia inaccessibilis propter ferarum crudelium, & venenosorum animalium ibidem commorantium multitudinem innumerofam.

Hæc dicta sunt, ut habeatur discretio veteris & nouæ Babylonie, in hoc opere principaliter recolenda.

Fluuius igitur PARADISI nouam BABYLONIAM præterfluens, ac terram ÆGYPTI irrigans & foecundans, & omnibus bonis abundanter faciens GION, (ut in Genesi dicitur) appellatur.

Quidam tamen dicunt, quod GION & PHISON in superioribus ÆTHIOPIÆ coniungantur, & sic coniuncti unum alueum continent & seruerent.

Insulas tamen plures in ÆGYPTO habet predictus fluuius uberrimus & deliciosissimus, & iterum collectus in mare Mediterraneum in partes diu-

* fort. Bal-
dach. Vide
Ortelii
Theſ.
geogr. v.
Babylon.

dinus, incidit propè ALEXANDRIAM, de qua fecimus superius mentionem.

Prædicti fluuii aqua sapida est, & sanissima ad bibendum; cibos digerit, bonos pisces habet in magna copia.

Inueni in eo, & circa eum, lignum ALOE, & diuersi coloris lapides CARNEOLI. In CAIRO & BABYLONIA sunt plures ECCLESIAE CHRISTIANÆ valde pulchrae, inter quas magis famosæ sunt, Ecclesia in BABYLONIA B. VIRGINIS, ubi ipsa cum CHRISTO IESV & JOSEPH, quādo in EGYPTVM de IUDÆA fugerat, metu HERODIS, aliquandiu dicitur habita esse.

Item alia Ecclesia B. BARBARÆ virginis, in qua corpus ipsius in paruo monumento marmoreo conseruator.

Et sciendum, qd EGYPTVS oblonga patria est; & in aliquibus sicca, propter desertum siccum, latera ipsius ambiens & comprimens, de cui natura, & ipsa EGYPTVS est, nisi in quantum exuberante fluuio, vel artificialiter, vel naturaliter cōducto, imbibitur, fertilis efficitur, & delectabilis hominum usibus coaptatur.

Parum pluit in ea; qd regio multum de se sicca, & fortiter ardor solis humores consumit super eam faciliter eleuat. Vnde in longu, pten- ditur ab ETHIOPIA secundum cursum fluuii usq; ad ALEXANDRIAM, & mare Mediterraneum, tantu habens latitudinis, ut fluuius secundum dispositionem terra & hinc inde, & hominū diligētia poterit elargiri.

Vidi in CAIRO tres elephantes viuos. Est autē Elephas animal valde magnum, pellē habens duram, ad modum squammarum pisces, disciplinabile, ad sonū instrumenti musici chorizat & saltat; dentes de ore excent ad modum apri, valde longi, super os habet proboscidē longā ad modum vaccæ rotundā, peracutā, cartilaginosam, ad omnē partē flexibilē, qua vitur loco manus, cibū per eam sumit, & incurando, infra subtus os mittit, eaq; plura recipit, & distribuit, solaciatur, & non lædit; se prosternit, & se eleuat; verum enim non est, quod iacens se deinde erigere nō possit, ad pceptum magistri sui, aduenientibus alludit, caput inclinando, genua flectēdo, terrā quoq; osculādo: qd hic modus honorādi hospites, hominibus in illa patria cōmuniciter cōsuetus.

Vidi etiam animal in CAIRO INDIE IERAFFAM, multum eleuatū in anteriori parte, longissimum collum habens, ita vt de tecto domus cuiusvis altitudinis possit comedere, retrō est ita depresso, vt dorsum eius manu tangi possit; non est ferox animal, sed ad modum instrumenti pacificum, colore albo & rubeo, pelle habens ordinatisimē decoratam.

Vidi

AJSJ
om. b.
SIV
27

Vidi plures baburnos coctos, mammones, psittacos mirabiliter instructos, gestibus suis homines mirabiliter ad deductionem provocantes.

Inuenitur psittacus, qui pro 100. aureis non daretur; quia in his partibus sunt homines delicati, supra modum delectationem, & corporalia solatia requirentes.

In superioribus AEGYPTI est vna SMARAGDINA; unde ibidem SMARAGDI meliores, & in meliori forma, quam in aliqua mundi parte, habentur.

Sunt in SYRIA & AEGYPTO poma oblonga, quae PARADISI occupantur, optimi saporis, mollia, in ore citè dissolubilia; per transuersum quotiescumque ipsa incideris, inuenies CRYCIFIXVM, in tantum, ut aliquoties facie, & allorum membrorum linea menta possit perpendere competenter: diu non durant, unde per mare ad nostras partes duci non possunt incorrupta.

Saccarum optimum ibi crescit, & alia terræ nascentia, apud nos inconfusa; & consueta tamen, quae apud nos in hortis humano studio nutriuntur, ut ruta, salvia, & huiusmodi sola naturæ operatione in campus, & alias oriuntur, & crescunt; multò amplius virtuosa.

Est autem in CAIRO domus ampla, & ad modum stibæ demissa, in qua sunt multæ fornaces etiam demissæ, super quas in palea ponuntur oua, quanta quilibet voluerit apportare, & sine gallinarum cubatione naturali, excocto temperamento ignis in fornacibus materia fecitus maturatur in ovis, & pulli exunt suo tempore, arte effectum nature mirabiliter prosequente, statimque vt pulli exunt, & extensis ouorū erumpunt, dantur dominis, quorum oua fuerunt, al sportanturq; & nutriuntur. Vnde & in his partibus est maxima copia gallinarum. Hoc mirabilius repto omnibus, quæ in his locis vidi.

Homines & feminæ venduntur, in his partibus, sicut alterius fidei & sectæ, quæ ementes & vendentes, & sicut seruitutem rediguntur, & secundum iuuentutem, fortitudinem, artem, sanitatem, pulchritudinem estimantur.

Infra BABYLONIAM est quædam terra singulariter fertilis, paucis yberrimis opulēta, quæ dicitur terra GESSEN, quam filii ISRAEL consensu PHARAONIS ob meritam Ioseph, & patris ipsius Patriarchæ IACOB instantiam inhabitarunt, dum diuina dispensatione peregrinati sunt in Aegypto.

Quæ

Quæ miracula & magnalia Deus in AEGYPTO operatus sit, in libris Moysis fatis patet.

Propè CAIRVM versus plagam deserti est hortus BALSAMI singularis, non multum magnus, nec fortis sepe circumdatus, nec muros, de quo plurimum admiri abar, locum tamen nobilem non fortius com muniri.

Arbusa Balsami grossa non sunt, aut alta, sed ad modum vitis palmitum ramusculi mediocres. Irrigatur hic hortus quodam fonte parvo, in ipso existente, in quo virginem MARIAM puerum IESVM balneasse sa pius, ac vestes panniculoi que eius lauisse afferunt CHRISTIANI; & ex hoc dicunt fontem virtutem contraxisse, ut terra, huiusmodi aqua irrigata balsamum germinet, & producat.

Vltra BABYLONIAM & flumen Paradisi, versus desertum, quod est inter AEGYPTVM & APHRICAM, sunt plura antiquorum monumenta, figura pyramidalis, inter quæ sunt duo mira magnitudinis & altitudinis, de maximis lapidibus & politis, in quibus inueni scripturas diuersorum idiomaticum. In uno inueni hos versus Latinos petris insculptos:

Vidi pyramidas sine te dulcissime frater,
Et tibi, quod potui, lachrymas hinc mœsta profudi;
Et nostri memorem luctus, hanc sculpo, querlam,
Sic nomen decimi anni pyramide alta

Pontificis, comitiss; tuis * Trajane triumphis,

Lustris sex intra cenforis, confulis esse.

Horum versuum obscura expositio aliquantulum me tenebit.
Dicunt simplices, haec maxima monumeta fuisse granaria PHARAONIS, & sic ea appellant, quod verum nullo modo est. Quia nec ad imponendam, nec ad seruandam annonam, aut frumentum locus in ipsis pyramidibus aptus deprehenditur, maximè, quia à summo usq; deorum plenæ sunt maximis lapidibus, sibi inuicem bene unitis; nisi quod porta paruula à terra bene cleuata remansit, & via stricta ac tenuro, per quam descenditur ad certum spatium in eisdem, nulla in ipsis reperta latitudine patiosa, verum quod monumenta sunt, versus scripti attestantur, & multa ipsas praesentaliter intenti.

IV. *De itinere versus montem Synai ac Arabiam,
et locis sanctis in ea, usque ad initium
terrae promissionis.*

DE CAIRO inde & BABYLONIA recedens, partibus AEGYPTI lu-

stratis, in ARABIAM properauit, veniq; ad montem SYNAI eques

in decem diebus. Via media tota deserta est.

Afferebant MONACHI montis SYNAI veteres & veraces, scilicet nun-

quam vidisse illuc venisse CHRISTIANVM, equitem peregrinum pra-

ter me, quia in camelis consueverunt venire catari peregrini. Came-

lus namq; comedit spinas & tribulos, quos inuenit in deserto, sine po-

tu aliquotiens per duos dies integros usq; in tertium permanes; fabasq;

siccias portant Camelariorum per desertum; & dum camelos volunt benè re-

ficeret, dant ipsis de huiusmodi fabis in modica quantitate, & sic onu-

ssi grauitate tota die laborando, in itinere perseverant.

Equus tali labore & victu deficeret, vnde pabulū conueniens a-

qua ne deficeret, feci portari, p equis meis, sicut & mea familiae in ca-

melis. SOLDANI namq; BABYLONIAE fecit mihi singularem gratiam,

Dei mediante fauore, dans mihi literas, quibus me omnibus subditis

recommendabat, ut me ad LOCUM SANCTAM per totum eius dominium

liberè ire permetteret, sine omni tributo, exactione, telonio, & me,

meos, ac mea saluarent, honorarent, ab omni offensa & iniuria quo-

runcung; custodirent, propter quod securus per totam terram SOL-

DANI iuri cum mea familia, & pluribus scutiferis pari ueste induitis, &

habitu militari, gladiis, calcaribus, cultellis, ac si in terra CHRISTIANO-

RVM securissime processissem.

Existens in itinere, stagulis noctibus dormiui in campis sub ten-

torio, quod mecum portauit; & SARACENI ad hoc deputati per offi-

ciale loci, ad quem veni, excubabant, me, & meos custodientes soli-

cite & attente a nocturnis periculis.

Multi iuerunt ultra mare, magni & parui, nobiles, & ignobiles;

sed huius temporis nullus hoc modo; p reperito singularem gratiam &

donū gratuitum SALVATORIS. Quocunq; perueni, & illis quorum in-

tererat, literas SOLDANI monstrauit; statim seleuabant, literas oscula-

bantur, super caput ponebāt, me honorabāt, aliquoties victualia gra-

tis præsentabant, & se mihi ad beneplacita benevolos exhibebant.

Sic igitur recedens de Cairo, primò perueni ad MARE RUBRUM

in

Hinc poter-
stia audo-
rum et no-
bilium.

in deserto, q̄ est quoddam brachiū OCEANI INDICIS strictum, versus plagam AEGYPTI, sed plus & plus versus mare magnū incipit clavigiri.

Supra ipsum mare rubrum, veni ad locum, vbi filii Israël sicco vespilio transierunt, diuino miraculo, in ipso submersis AEGYPTIIS, in sequentibus eos, sicut in l. Exodi clariss. reperitur.

In hoc loco, mare longum est, sed iudicio meo vix latitudo transitus, ad quinq; milliaria se extendit.

Non est autem mare rubrum in hac parte, nec fundus rubens, sed in omnibus assimilatur ceteris maribus; potest tamen esse, quod in aliquo eius parte, alibi sit gleba eius rubra, & ob hoc totum illud brachium mare rubrum seu rubeum appellatur.

In littore huius maris processi per triduum, & circa ipsum in iterum plurimum delectabiliter, quia refocillabar plus quam in deserto, alio, ventorum dulci refrigerio moderato.

Circa hoc mare inuenitur corallus albus in abundātia, in ramis multū pulcher, sed parū valet, quia nimis est fragilis: inueni tamen sine ramis, duas vel tres pecias ad modum eboris reluentes.

Recedens de mari rubro veni ad fontē, q. in scriptura dicitur ^a MARTH, vbi tempore transitus filiorū ISRAËL amara erat aqua, qua in p̄mixiōe ligni à DEO monstrati Moysi, dulces & potabiles sūt effecte.

Deinde veni in ^b HELYM, locum valde delectabilem in deserto, vbi sunt 12. fontes, & 70. palmæ, & est vna de stationibus Israël, vti in Exodo reperitur.

Potest hoc veni in desertum, vbi est mons DEI, SYNAI, seu OREB, quem in hoc deserto finaliter requirebam.

In pede huius montis est ille locus sancti Spiritus, vbi Moyses vidit rubrum ardente nō consumi flāmis, & Deum in rubro loquentem, nostrā salutis ordinem figuraler conuentientius inchoantem.

^d In hoc loco pulchrū est monasterium satis magnum, plumbo coöpertum, & claustrum Monachorū, benè firmata porta ferrea clavum. Et Monachi ARABES & pauci GRÆCI, simul numero multi, deuotissimè & sanctissimè viuentes, ARCHIEPISCOPI eiusdem loci ac ordinis, & ceteris platis suis valde obedientes, vinū non bibentes, nisi in paucis festis anni, & tunc certa mensura, modicæ quātitatis: pīces raro comedunt; oleribus, daçtylis, leguminibus vitam certis locis & horis simul quietissimè sustentantes; diuinum officium secundum ipsorum consuetudinē peragunt, Ecclesiā intrinsecus mundissimè tenentes, & 14. bellū, valde multis lampadibus ac luminaribus illustrantes.

Vide Peregrinatio in
Exodus.

^a Exod 15.
Num. 32.
Adrich. fol. 122.

^b Eim.
Exod. 15.
Num. 33.
Tyrus 11.
bell. Iarr.

^c Adrich.
in Pharan
92. fol. 124.

^d A Insti-
niano 1 m.
construit
ubi 9000.
descriptio-
rum mo-
nachorum
corpora se-
pulta. Vide
Wilb. Tyr.
Iarr. 12.

Exod. 3.

Ad locum Rvbi retrò maius altare discalceati intrant peregrini, nosque intrantes discalceari iubent, propter hoc, quod Deus Mors dixit ibidem existenti: Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo fas, terra sancta est.

Diebus plurimis apud eos fui, & in claustro loco commodo aſſignato, me benignissimi pertractauerunt.

In hoc monasterio aqua est, quam percussione virgine precepto Dei iussit Moyses emanare; aqua est optima, & sanissima ad bibendum.

In hoc monasterio prope altare maius à dextris, in loco aliquantulum eminenti est una capsa marmorea alba, non longa aut alta, in qua caput, & membrorum ossa non ordinatè posita, sed mixtim, de summitate montis SYNAI huc translata beatissimæ virginis & martyris CATHARINÆ sunt reclusa; & vas Prælati dicti monasterii cum instrumentis, cum debita solennitate, deuotissime, peregrinis aperiunt, sacras intus iacentes RELIQVIAS offendentes.

PRÆLATVS VERÒ MAIOR CUM INSTRUMENTO ARGENTEO AD HOC FACTO, OSSA SANCTISSIMA FRICAT, & LIQUORE EXSLUDANTEM AB EIS DIUINO MIRACULO, DEUOTÈ PETENTIBUS IMPERTITUR, MODICA Tamen QUANTITATIS, QUIA PER MODUM FUDORIS CONFUEUIT LIQUOR SANCTUS, MODICÈ Tamen EX OSSIBUS EMANARE, QUI LIQUOR OBDURUS ALIQUANTULUM EXISTIT, & VERÈ MERITIS B. CATHARINÆ DONUM DEI CREDITUR. QUIA NEC BALSAMI, NEC OLEI, NEC ALTERIUS HUMORIS NATURALIS SPECIEM SORTITUR, QUO DONUM TRANSCENDENS NATURAM MERITO COMPROBATUR.

In hoc etiam MONASTERIO PLURES DIVERSAE NOBIS ALIA RELIQVIA SUNT OSTENSA.

INTRA SEPTA HUIUS MONASTERII NEC MVSCAE, NEC PVLICES, NECA LIÆ HUIUSMODI IMMUNDITÆ POSSUNT ESSE; Tamen extra desertum vndeque molestant plurimum transentes, & non minus vtique homines habitantes.

DE QUO CUM MIRABAR, & OCULIS VIDISSEM, QUOD HUIUSMODI ANIMALIA IMPORTATA MORIEBANTUR; INFORMATUS FUI, QUOD OLIM ORACIONIBUS SANCTORUM IN EODEM LOCO COMMORANTIUM, QUI IN TANTUM HUIUSMODI ANIMALIBUS VEXABANTUR, QUOD ETIAM LOCUM COGITABANT DMITTERE, A PIO DEO IMPETRATUM EST, VT NULLUS TALI TREDIO DEinceps IN DICO LOCO AGGRAUARETUR.

MONACHI ETIAM DICTI LOCI, DANT DE VICTUALIBUS, QIBUS IPSIMET VNTUR, QUAMDIU IN IPSORUM MONASTERIO, & ITERUM PRO ITINERE VERE SÝRIAM, SECUNDUM NUMERUM DIETARUM, AQUALITER OMNIBUS, ITA PAR-

paro, sicut magno, competit; omnino omne pretium, etiam si oblatum fuerit, penitus respondeat.

Super hunc sacrum locum, de quo multa iam dixi, eminent mons *Vide A-*
SYNAI fatis altus, gradibus multis ad eius summittatem ascenditur, in
qua summittate una est capella HELIAE, altera Moysis, ubi gloria Do-
mini apparuit, legem dedit, & multis miraculis coruscavit.

Foramen etiam in petra durissima ostenditur ibidem, in quo
Deus Moysen posuit, dextera sua protexit, cum ipsum in maiestate
pertransiret, posteriora sibi ostendens, cum faciem ipsius nullatenus
potuerit intueri.

De hoc & aliis magnilibus Dei in locis his factis, ex libris S. scri-
pturae quilibet poterit plenius informari.

Figura corporis Moysis videtur quodammodo petra dicta,
tanquam cerę impressa, cum tamen adeò sit dura, ut instrumentis fer-
reis fortissimis, vix mei familiares potuerint aliquid, de ipsa ad mo-
dum pulucris acquirere.

In cacumine alterius montis multum altioris, valle profunda
existente, corpus B. CATHARINÆ ab ANGELIS portatum, & ab ho-
minibus repertum esse dicitur, à monachis & incolis illarum parti-
um, & devote ob hanc rationem, etiam à Christianis haec summitas
laboriosius visitatur.

In hac summitate nulla Capella est, aut habitaculum, sed petris,
& * talibus tabulis locus inuentu corporis est signatus.

Oratio dicit * Ecclesiæ, quod in eodem loco & lex sit data, & ** Deus qui*
corpus B. Catharinæ sit ab angelis collocatum.

Dici potest, quod in eodem loco, non numero, sed specie. Vel
cum diuina maiestas nullo loco determinata sit, modò de uno, modò
de alio montis apice Moysi loqui poterat; & nunc de longe, nunc de
prope ipsum de his, de quibus cum scire voluit, informare. Et siciden-
titas localis non sumitur, quantum ad legem datum, & S. CATHARI-
NAM sepultam, sed quantum ad legem dantem & sepelientem; cuius
auctoritas in summittate montis SYNAI eadem sede non determinata
resplenduit in utrisque.

De monte igitur SYNAI descendens, versus SYRIAM processi per
desertum in tredecim diebus.

Hoc desertum totum est illud, de quo prius memini, inter CAI-
RVM & montem SYNAI, ARABIAE nominatur, quod latissimum est, in
quo moratur infinita multitudo ARABVM, qui dicuntur alio nomi-
ne

SIV
27

* An Ra-
thalalhaga
apud The-
reum hoc
perirent?
Vide Or-
tel theo-
geogr. v.
Arabia
Petrae.
* Braun.

ne RIDILBIM, in locis sepositis, vbi aquam habere possunt, de fonti-
bus, riulis, aut puteis, sicut in modica quāitate, quia magna estibi
aqua penuria, ita ut ad duas dietas, vix possit aliquoties reperi, & vbi
vno tempore inuenitur, alio exsiccatur. Morantur autem hi homines
sub tentoriis, de filtris & pellibus, & viuunt maximè de Camelis & Ca-
bris, non serunt, neque metunt, agris carentes; pane non vtuntur, nisi
portetur aliquoties de SYRIA & AEGYPTO. * Brunii homines sunt, for-
tes, & veloces; pro armis, scutum & lanceam portantes, Camelis am-
bulantibus infident, quos DROMEDARIOS dicimus; vno die multum
itineris valde, si volunt, peragentes. Caput & collum inuolunt pan-
no lineo longissimo, nec generaliter vtūtur arcubus, vt ceteri SARA-
CENTI; parùm curant SOLDANVM; ipse tamen Capitaneos eorum tra-
hit ad se muneribus, & huiusmodi; quia, vt dicitur, quando cultores
huius deserti vellent, & essent vnamimes, possent SOLDANVM cūcere,
AEGYPTVMQVE & SYRIAM de facili occupare.

V. De initio terra promissionis, quod est Bersa-
be, versus Arabiam, & locis sanctis
ad ciuitatem Hierusalem.

Vide A-
drich. in
Simeon 28.
fol. 133. et
alibi.

Procedens inde de ARABIA veni in BERSABEE, terræ PROMISSIO-
NIS initium, versus AVSTRVM, quondam fuit villa competens, pul-
chras habuit Ecclesiæ, quarum adhuc aliquæ persuerat, pulcher val-
dè locus est, & delectabilis, atque sanus.

In hac B. ABRAHAM diu moratus est, altare ædificauit, contem-
plationi studuit, nomen Domini deuotius inuocando, vocatusque à
Deo mandatum accepit, vt filium immolaret.

* De Ma-
bre Adrich.
in Iuda
245. fol. 49.
& de con-
walle Ma-
bre fol. 51.

Deinde procedens in media die eveni in ciuitatem * HEBRON, q
aliis nominibus, VALLIS MAMBRE, & CARIATHARSE in Biblia vo-
catur, vbi B. DAVID regnauit, pro tempore, vbi sepulti sunt sanctissimi
Patriarchæ, * ABRAHAM, ISAAC & IACOB, SARA quoq.; REBECCA
& LYA, in spelunca agri duplice, quem emit ABRAHAM in sepulturam,
vt in Geneli reperitur.

In declivio montis hic locus est, in quo supra monumenta ipsorum
Patriarcharum pulchra Ecclesia constructa est, ad modum castri
munita, de magnis lapidibus ac politis, quam SARACENI in reueren-
tia habent, ob merita parentum suorum, quos dicunt fuisse prædictos
Patri-

Patriarchas. In eam intrare non permittunt aliquem CHRISTIANVM; quod si voluerit, ad ostium Ecclesiae poterit adorare.

In hac sancta valle HEBRON locus est, ubi ABRAHAM in ostio sui tabernaculi sedens, in ipso ferore dici, tres vidit, & vnu adorauit, charitate Dei insinuatus, & a passionum mundialium turbine quietatus, in Deitate TRINITATIS & unitatis mysterium ineffabile recognoscens.

In hoc etiam loco ipse vir sanctus angelos Dei hospitio recepit, prandium ipsis acceptabile, prompta deuotione mētis preparari uisit de hēdis; reprobationem de veterana coniuge promeruit, quod secundum naturae cursum incredibile videbatur.

Propè hunc locum ABRAHAE pœna SODOMORVM revelatur, orationeque rationabili salutem LOTI, & eius familiæ impetravit.

Dicinde in una die veni in ciuitatem sanctam BETHLEHEM, que utiq; in principib' IUDA non debet minima reputari. Via media multum est delectabilis, & aliquantulum nemorosa. In hac beata ciuitate versus Orientem, ultima eius parte, diuersorum erat, in quo puer natus est nobis de Virgine, & filius Dei datus, patris etiam secreta pandens nobis misericordiis indigentibus, angelus magni confilii destinatur.

In loco nativitatis solis iustitiae CHRISTI, Dei nostri, ibidem orti, denotissima & pulcherrima Ecclesia constructa est, satis magna, plumbo coeperta, marmoribus & picturis GENEALOGIAM CHRISTI exprimitibus, egregie ordinata.

Apparet mihi, quod nunquam magis generosam Ecclesiam videlicet in hoc mundo. Erat benē turribus, muris, ac propugnaculis communica.

In ipsa Ecclesia propè Chorum à dextris descenditur, per paucos gradus, ubi est locus praesepii, artis ministerio, marmoribus, & operi Mosaico pulcherrimè decoratus. In hoc loco huius praesepii pannis Angelorum nobis proponitur, quod magis in virtutibus & in Angelorum quodammodo honoris gratia diuina collocati, non immutemus cibum huiusmodi in nostra carnis substanciali, sed potius in ipsum viuaci deifica similitudine transmutemur.

In hoc loco pauperculæ VIRGINIS INFANTVLVS à MAGIS adoratur, mysticis munericibus honoratur, stella ductore ostenditur, in mobili, naturæ immobilis demonstratur, ab angelis & pastoribus cœlestibus & humanis praconiis attollitur euidenter.

Ex

MSS.
S. IV
27

Ex hac etiam sancta ciuitate, DAVID duxit originem, in qua, & eius finibus, occisi sunt beatissimi Innocentes, primi filii, quos Deo patri obtulit, postquam in hoc exilio peregrinari voluit, seipso ad patrem ducere peregrinos.

Beatus HIERONYMVS in hoc loco diu moratus est, & tandem defunctus; aliiq: plures sancti; pro loci reuarentia deuotissime sunt conuersati.

Est autem BETHLEHEM ciuitas paruula, quantitate loci, sed non virtute mysterii, oblonga est, & stricta, a lateribus suis, profundis vallis bene naturaliter communita. habitatores eius sunt communiter CHRISTIANI, quamvis SCHISMATICI, quorum cultui territorium BETHLEHEM ITICVM boni vini copiam administrat.

In felici loco NATIVITATIS CHRISTI, pulchram feci cantari MISSAM, PVER NATVS EST NOBIS, & deuotam, per SACERDOTEM, quem per totum SANCTVM ITER mecum duxi; & potuit in his locis sicut celebrare, quia delicentia SVMMI PONTIFICIS, hæc loca tantissima visitavi.

De BETHLEHEM processi versus HIERUSALEM; & est via intermedia, & vix quatuor milliarium, in qua via à sinistris, est b monumen-
tum RACHELIS, matris JOSEPH, sanctissimi Patriarchæ, qui in partu
BENIAMIN moriēs, à IACOB in via, quæ dicit EPHRATA, id est, BETH-
LEHEM, est sepulta, & lapides, quos secundum numerum filiorum Is-
raël, sepulcro supposuit, apparent usque hodiè; quod etiam historia
Genesij attestatur.

Est circa hanc viam locus, ubi pastoribus super gregem vigilias noctis custodientibus, exercitus angelorum apparuit, decantantes in SALVATORIS NATIVITATEM: GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Dicitur etiam circa hanc viam esse CISTERNA Vetus, in quam JOSEPH missus est per fratres suos, venditus postea mercatoribus eun-
tibus in Aegyptum.

Et breuiter in hac via sunt plura Christianorum monasteria gratiosa.

N.B.
Pro au-
ritate au-
thori.

a Sex mi-
lliarium ab
Hierusalem
distare scri-
bit Seno.
Sulpitius
qui ibi sex
mensibus
fuit cum
S. Hiero-
nymo.
b quinto
miliario
ab Hieru-
salem, in
loco qui à
LXX. vo-
catur Hippo-
potronius. Temporibus Bredenbachii adhuc aderant isti duodecim lapides. Vide Adrich. is
Benjamin. vti ful. 19.

c Cisterna vetus non procul à Dorhain in campo iuxta viam, quæ in Aegyptum ducit Brac-
utin. 4. Breid. ib. Adrich. in Zabulon 36. & 40. fol. 338.

De

De Ciuitate sancta Hierusalem, & locis sanctis in ea. Et primò de Templo Domini, & quibusdam aliis.

Visitatis ergo locis prædictis, annuente DOMINO, ciuitatem sanctam HIERVSALEM intraui, die Iovis post INVENTIONEM S. CRVCIS.

Hæc est ciuitas Dei Regis magni, de qua gloriosa dicta sunt, maximè pretiosissima, agni immaculati CHRISTI languine salutifero præparata.

Estantem HIERVSALEM Metropolis terræ promissionis, in monte sita, iuxta illud Psal. Fundamenta eius in montibus sanctis, nō parua, vel magna, sed virtutis medium amplectens.

In serenissimo aere collocata est, riuis & fontibus carens intrinsecus aquam non ministrantibus, artificialiter aquę ductus, ac cisternę plures sunt, in ciuitate aquam pro necessitatibus tribuentes. Conducitur autem aqua in HIERVSALEM de partibus circa HEBRON, & prope viam eundem in HEBRON, ipse ductus aquæ huiusmodi satis patet. In hac ciuitate sanctissima, ut de prioribꝫ per se, prius incipiāt, est templum Domini in area ornata IEBRÆ, ad orientem; non quidem illud, quod SALOMON construxit, quia hoc penitus dirutum, scriptura attestante; sed à Deo in eodem loco restauratum est, rotundum figura, satis longum & latum, in circuitu, nulla sibi de competenti spatio mansione alia propinquante.

Est autem ipsum atrium non coepertum, subtus autem albo marmore benestratum.

SARACENI in maxima habentes reverentia mundissimum tenent, nudis pedibus intrant, & deosculantur, genu flexi multotiens, non permittentes aliquem CHRISTIANVM atriu vel templum intrare, dicentes suum locum, quem domum Dei singularem afferunt, non debere à Christianis vel Iudeis, quos canes & infideles reputant, maculari.

Sanè in hoc loco templi, plurima singularia & mirifica Dñi opera facta sunt, scriptura tam veteris, quam noui testamenti, testante, quæ per singula tangere, longum esset.

In hoc loco Dei Sacerdos MELCHISEDECH creditur panem & vinum Deo mysticè primitus obtulisse.

Dici-

MSS.
SIV
27

Dicitur etiam hic locus ABRAH^A oftenitus, ut filium immolaret, quo, præcepto angeli, illæso permanente ISAAC, aricem hærentem cornibus in vespibus, ABRAHAM loco filii immolauit.

Dicitur etiam hic locus esse, ubi B. PATRIARHA IACOB vidit scalam erectam cacumine cœlum tangentem, & angelos Dei ascendentis, & descendentes, huius loci sanctitatem inculcantes.

In hoc etiam loco vidit DAVID angelum cædentes populum, impossisse cruentatum gladium in vaginam.

In hoc etiam loco SALOMON D^O amabilis, orationem devotam, & loco conuenientem ad D^EM emisit, ac ipsum cum Sacerdotib^z & ministris præcessa solennitate, instinctu Dei attentissime dedicauit.

In hoc etiam loco B. VIRGO ante despositionem eius dicitur Deo fuisse oblatas à parentibus, ut templi pannos abluendo, rupta cœsura, ac ornando, & huiusmodi muliebra officia ac virginalia diligenter exhiberet.

In hoc loco MATER VIRGO postmodum D^O patri suum filium primogenitum presentauit, secundum legis præceptum pro eo Domino redemptionem primogeniti masculi offerendo; ubi etiam B. SYMEON CHRISTI in vlnas recipiēs, & B. ANNA Prophetissa SALVATOREM mundi venisse, clara voce sancto instigante spiritu, promulgavit.

Ex hoc loco CHRISTVS vendentes & ementes ciecit.

In hoc loco sepius docuit, puerulus disputauit, quæreribus dulcem responsione retulit, multa mirabilia fecit, locum plurimum commendauit, quæ sacræ Euangeliæ lucidiū continentur.

Super pinnaculum huius templi filius missus est, & tentatorē Dei clara voce animo virili repulit, & vt decuit, tanquam Dominus omnium potitus est sacro ministerio angelorum.

Luxta hoc templū IACOBVS MINOR, qui & FRATER DOMINI dicitur, pertica fullonis excerebratus, felix martyrium consummavit.

Luxta hoc templū à finistris est illa vetus PORTA AVREA, & ciuitas, & atrii templi, de qua Scriptura facit cōmendabilem mentionē.

Propè Templum à dextris, est Ecclesia oblongo plumbō cōperta, quæ Scola Salomonis vulgariter dicitur.

Quidam dicunt ibi fuisse quoddā habitaculū & pretiosum porticum SALOMONIS.

Non longè versus Septeatrionem est illa PROBATIC^A PISCINA curatorum debilium, secundum Euangelium motu angeli descendens.

dentis. Et Ecclesia B. ANNÆ, auia Christi, satis pulchra, eadem piscina est contigua, vbi B. VIRGO concepta & nata fuisse dicitur; sepulcrum IOACHIM & B. ANNÆ parentum eius, in quodam crypta subterranea, ostenditur, & non longe est Ecclesia vbi Christus in uitatus cum Pharisago discubuit, illaque peccatrix mulier beatissima MAGDALENA, in uerecundâ uerecunda ad conuiuum intrans, pedes Domini lachrymis lauit, capillis tergit, & remissionem peccatorum meruit obtinere.

Est etiam HIEROSOLYMIS locus, vbi Christus flagellatur, confinitur, & colaphizatur, illuditur, comprehenditur, spinis coronatur, crucis arbore oneratur, & passiones pro nobis innumeratas susinet, impennis patienter.

De templo Domini versus Meridiem est ille benedictus mons SION, intra ciuitatem HIERUSALEM, cuius portæ super omnia tabernacula Iacob a Domino diliguntur. Qui quidem mons parum altior est cetero situ ciuitatis, de ciuitate ad ipsum aescendentibus; verum ab extremitate profundis vallibus communis. Est tam fortior locus urbis, ciuitatis David, à scripturis saepius nominatus, in quo ceteri Reges Hierusalem postmodum habitabant, in quo David & Salomon plurimi prophatarum ac Regum Hierusalem corpora requiescunt.

In pede huius montis versus ciuitatem SOLDANVS castrum fecit, & a deputato Castellano & seruientibus custoditum.

Breueriter, in hoc monte sanctissimo frequentatione Christi & benedictæ matris eius ac discipulorum plura loca sanctificata sunt, præcipueque in certo loco huius montis filius Dei Pascha cum discipulis suis celebrat, sanctissimum corpus & sanguinem consecrans, discipulis tribuit, nouum Testamentum instituit, peditorem sententiando.

Dilectissimus ille discipulus supra pectus Magistri discubuit, vbi secretorum celestium habuit sentencias. Postmodum credentibus fidelter & cautissime, secundum salutis nostræ exigentiam detegendas.

In hoc monte humili magister & Dominus pedes discipulorum lauit, linteo præcinctus tergit, exemplo salutifero nos docuit, sermonem Dominicum fecit in charitate, fundamentum, & consummationem fideli solidauit.

In hoc monte post mortem CHRISTI, discipuli cum matre Iesu orationibus deuotissime perseuerabant.

In hoc monte post RESURRECTIONEM CHRISTVS discipulis appariuit, clausis ianuis, & THOMA se palpabilem præbuit, non credenti.

Q. 2

MSS.
m. b.
SIV
27

In hoc etiam monte, die PENTECOSTES SP̄RITVS SANCTVS in discipulos venit, linguis igneis dispartitis in ipsis inauditorum operum dona distribuens charismatum diuinorum.

In hoc monte post Christi ascensionem beatissima DEI GENITRIX morata est, & tandem ibidem decedens, in thorale solium celeste à filio eft assumpta.

Item in monte SION lapis ille magnus ostenditur, qui adolutus erat ad oſtium monumenti.

NB.

In monte etiam SION IACOBVS MAIOR decollatur, vbi pulchra est Ecclesia ARMENORVM; & hæc sola Ecclesia est notabilis, ad fidem ROMANÆ ECCLESIAE spectans, cùm tamen HIEROSOLYMIS sint multæ Ecclesia Christianorum schismaticorum, SYMMO PONTIFICI non obedientium; & ipsi inter se diuersis hæresibus, & schismate sunt diuisi.

Sectæ multæ sunt Christianorum vndeque in his ultramarinis partibus, ritibus & diuersis nominibus discrepantes. Sunt enim ibi GRÆCI, SYRIANI, NESTORINI, IACOBITÆ CHRISTIANI, DECENTVANI, NVBIANI, ÆTHIOPIES, INDI, PRESBYTERI IOANNIS fidem tenentes, & GEORGIANI, quorum fidem modumq; viuendi ac errores describere longum esset.

Caterum pauca, quæ in HIERUSALEM & terra sancta, ab initio usque nunc, Dei dispensante prouidentia, facta sunt, & ostensa, plus tamen notabilia, ob legendum devotionem hic narro. Singula vero magnalia Dei, qui scire voluerit, conuenit, ut latas S. historiæ paginas percutetur.

VIL

*De Monte Caluaria, & sepulchro Christi,
ac Ecclesia sepulchri.*

LOcis inde prædictis in Hierusalem lustratis; restat ut de monte CALVARIAE, & SEPULCHRO CHRISTI finaliter prosequar, quæ in hac ciuitate finaliter requirebamus.

Sunt igitur prædicta loca intra ciuitatem HIERUSALEM, quamvis tempore CRYCIFIXONIS extra ciuitatem essent; quia post HIEROSOLYMÆ cuersionem per TITVM & VESPASIANVM factam, in resurrectione eius postmodum per AELIVM ADRIANVM loca CRYCIFICATIONIS & sepulchri intra ciuitatem inclusa sunt, in vrbe ad Septentrionalem plagam quodammodo dilatata.

Sup^{er}

Super hæc loca à CHRISTIANIS pulchra fabricata est Ecclesia, figura rotunda, choro versus Orientem in longum, figura addita circulare, quæ deuotissima Ecclesia plumbo coöperta ad Occidentem defectis lapidibus pulcherrimam turrim habet; in summitate vero, ipsa Ecclesia versus cœlum coöperta est circulo magno patulo existente, cœlesti luminis clarius receptiu.

Sub hoc circulo, in medio scilicet Ecclesie, paruula domuncula est, in quam propter portæ demissionem, versus Orientem intrare oportet corpore in curuato: supra vero tefludinata est ad modum semi-circuli, opere Mosaico, auro & marmoribus decornata nullam habens fenestram, candelis lampade illustrata.

In huius domuncula parte dextra locus est DOMINICÆ SEPULCHRAE, attingens extremitates prædictæ casæ in longum, scilicet ab Oriente versus Occidentem, cuius longitudine nouem communium palmarum est, latitudo vero tam monumenti, quam spaciï cæteri ipsius domuncula, residuum in latitudine circa sex palmas communis ytrobiq; se extendit; circa 12. palmas potest esse altitudo domuncula supradictæ.

Illud vero aduentendum est, quod monumentum illi sanctissimo loco superpositum, non est illud, in quo corpus Christi sacratissimum exanime primitus est immisum; quia sacro attestante eloquio, monumentum Christi erat excisum in petra viua scilicet, quomodo antiquorum monumenta, & præcipue in his partibus fieri communiter consueverunt; illud vero ex petris pluribus est compositum, de novo conglutinato camento, minus artificialiter, & minus quam decente, ordinatè.

Locus etiam ipse monumenti CHRISTI, fuit per infideles longo tempore possessus ante tempora LATINORVM, & prophanatus, qui nihil in ipso dimiserunt, quod deuotionem fidelium posset de huiusmodi prouocare.

Quando etiam HIERUSALEM capta est ultimò à SARACENIS, percussa pæcta, & tractatus, ciuitatem sanctam dimiserunt, & assultu capta non fuit; nec verisimile est, posito, quod in loco sepulchri aliquid esset de vero monumento, Christiani dimiserint aliquid ibidem ab infidelibus conculandum, cum etiam nunc fideles studeant eadem loca visitantes, de petris & terra, quantum possunt, portare, & si possent, utique totam aportarent, vestigii Christi consecratam.

Vero unatenus quicquid sit de hoc, ipse locus sepulchri Christi for-

MJSJ
om. b.
SIV
27

formaliter moueri non potest, sed remanet, & remanebit immobilitas in eternum.

In quo loco sacratissimum corpus CHRISTI DE CRUCE leuatum per JOSEPH AB ARIMATHIA missum, mulieres & APOSTOLIS, & constantius prima peccatrix diligentissima, quod viuum dilexerant, mortuum diligentes, hunc locum deo tissime visitarunt.

Celestes ciues illuc sunt infideles credentes fideles dulci aliquid * consolatos.

Hic locus est omni deuotione merito reverendus, vbi corpus Christi sacratissimum inter iniquos est crudeliter deputatum, anima reassumpta immortalitatis primitus gloriam

Sæpè dicta domuncula parte sinistra contra sepulchrū eminet, extra ceteros lapides, lapis quidam albi coloris grossus, ad modum capitis hominis, benè ad septem palmas à terra cleuat, quæ Christianos illarum partium praeceteris vidi deuotius oculari, de quo cum mirarer, & quare hoc esset, sollicitè interrogarem, per authenticas personas per interpretem ibidem resonsum est, quod ille lapis sit de vero MONUMENTO CHRISTI, qui à CHRISTIANIS ibidem positus est, ut peregrini aduenientes possint ipsum tangere, & videre, vt ad deuotionem amplius excitentur.

Supra SEPVLCHRV MCHRISTI, pulchram feci de RESVRRECTIO-
NE DOMINI MISSAM celebrari, & aliqui de meis sociis CORPVS CHRIS-
TI deuotè suscepserunt.

Post MISSAM feci duos MILITES NOBILES supra SEPVLCHRV,
GLADIOS ACCINGENDO, & alia obseruando, q̄ in professione MILIT-
TARIS ORDINIS fieri coſueuerūt; q̄a * adiuratus in HIERVSALEM mihi
CLAVE M dedit ad DOMVM SEPVLCHRI, neminemq; intra Ecclesiā
sepulchri ire permisit, nisi quem nominatum expressi, & intrare volui,
vt quietius possem deuotioni vacare, & ea facere in Ecclesia, quæ mihi
ad honorem DEI videbatur expedire; & in his, & aliis se mihi idem
CAPITANEVS gratiosum in omnibus ibidem exhibebat.

Circa locum SEPVLCHRI in eadem Ecclesia, vbi tunc HORTVS
erat, post RESVRRECTIONEM MARIE MAGDALENÆ apparuit Christus
in specie hortulanæ, & se resurrexisse, per eam discipulis annūcias-
sed sicut illo tempore huius loci custodes infideles velut mortui sunt
effecti: sic (heu) hodiè, Deo permittente, custodes tam sacri loci sunt
infideles, & virtute mortui, SARACENI.

In eadem Ecclesia versus Orientem de sepulchro ad manu dex-
tram,

N.B.
Pro autho.
ritate au-
toru.
* Admi-
ralis.

tram, propè Chorum Ecclesiarum est ille locus, ad quem ascenditur per gradus non multos, qui parum aliud est, omni memoria & laude dignissimus, scilicet GOLGATHA CALVARIA monticulus de una petra albi coloris, rubeo quodammodo immixto, naturaliter elevatus, ubi dilectus fidelis anima candidus & rubicundus, electus ex millibus, cuius colorem etiam ipse locus visibiliter, & forte non casu refert, pro salute humani generis, patri coelesti obediens filius, acceptabilis hostia immolatur. Cuius hodie figuram prætulit agnus Paschalialis, & cetera cuncta, holocausta, sacrificia, libamina, legalia sacro velamine circundata, vnde & in eius morte velum templi scissum est; ad designandum, quod sacrificiorum figura cessante, illuxit veritas DEI filii crucis patibulo immolati; & usq; in finem seculi in altaris Sacramento mirabili, quotidie immolandi.

Et quis homo hunc locum videre poterit sine lachrymis, tremore cordis, alta consolatoria compunctione mentis? ubi impassibili passitur, vita moritur, & superfusionalis communicativa bonitas pro nobis peccatoribus, cum impiis deputatur.

In hoc loco latroni sero penitenti culpa dimittitur, mater discipulo commendatur, & discipulus pro filio, matri, miserabili con-cambio substitutur, Christus denudatur, crucifigitur, clauatur, lancaetur, & tandem sitiens, & altè vociferans spiritum pretiosissimum emitendo naturæ mortalis debito misericordissime satisfecit.

In hoc loco feci celebrari OFFICIVM de PARASCEVES, & quidam ex nostris de gratia DEI, deuotionis cumulis ibidem sunt dulissimè permoliti.

Sub sacratissimo monte CALVARIA in eadem Ecclesia locus est, ubi S. HELENA CONSTANTINI mater LIGNVM DOMINICÆ CRUCIS inuenit, sub terra diuinitus occultatum.

Circa hunc locum sunt quedam columnæ marmoreæ aquam continuè distillantes; & simplices dicunt, quod plangent & deflant mortem Christi; quod verum non est: quia ubi natura sufficit, non est ad miraculum concurrendum. Est autem certa species lapidis in genere marmorum, quæ ENIDOS appellatur, cuius natura per magnos mineralia confribentes, talis assertur, quod ex frigidissima naturali eius complexione aërem circumstantem ingrossando transmutat in aquam: in habentibus enim Symbolum facilius est transitus aquæ in aërem, subtiliando, & aërem in aquâ insipillando, quod fit, ut aërem, aquâ factum, & petræ circumpositum, necesse sit naturaliter distillare.

NB.

SIV
27

NB.

Vnde in CONSTANTINOPOLI, in veteri palatio Imperiali, sub terra quasdam conchas marmoreas vidi de simili lapide, quæ plenæ existentes aqua, euacuabantur aliquoties, & reuoluto anno sine omni humano studio, plenæ inueniuntur aqua, ita ut vndique effluant; quod à vulgaribus maximum miraculum reputatur. Sed ego, hoc vi-
dens, naturam lapidis consideravi, circumstantiam loci aduersti, admirato domino Imperatori causam naturalem exposui, cui plurimum placuit, & me ex tunc in singularem amorem; & honoris gratitudinem recollectus.

In hac sancta Ecclesia sepulchri morientes peccato, crucifigamur mundo, resurgamusque virtute cum CHRISTO, ut ab ipso assumi in coheredes æternæ gloriæ mereamur.

Et sciendum, quod ciuitas HIERUSALEM versus Septentrimonem & sepulchrum Christi, minorem habet fortitudinem, & planitem competentem, muris tamen, propugnaculis & fossatis posset comodè defensari. Ab Oriente vero vallis IOSAPHAT, & meridie ac Occidente alii coadiacentibus vallibus continuis & contiguis profundis est plurimum naturaliter communita. Distat autem a mari Mediterraneo ipsa sancta ciuitas per unam dictam communem cum dimidia, magis propinquum habens portum IOPPENSEM, de quo feci in præcedentibus mentionem.

VIII.

*De Locis sanctis in circuitu Hierusa-
lem, & locis sanctis usque ad flu-
gium Iordanis.*

Ciuitate sancta HIERUSALEM diligentius perlustrata, processi ver-
sus Occidentem ad montana IUDÆA circa quinque millaria ad
locum, ubi B. VIRGO post conceptionem SALVATORIS nostri cognata
sua ELIZABETHAD 6. menses grauidæ de præcursori Domini, oc-
currit congratulans, salutationem dulcissimam emitendo, qua lo-
ANNES diuinitatem excitato inaterno vero, gesticulis infantilibus exul-
tando, virginalem conceptum DEI filium nunciat, matresque virgines
hinc inde devotione humili DEI præconia intulerunt; haec DEI geni-
tricem; illa vero præcelsa genitrix verbis apertissimis DEI magnifi-
cans salutare.

abu V

In

In hoc loco est competens Ecclesia, vbi SEPVLCHRVM PRÆCVR-

SORIS DOMINI ostenditur,

Ac propè à sinistris est castellum EMAVS apparitione Domini

consecratum.

Propè est locus vbi arbor viuifica Crucis venisse dicitur, pul-

chra Ecclesia signatus, & competenti claustro, vbi religiosi Christiani,

GEORGIANO nomine, schismatici commorantur.

De hoc loco redii non multum de HIERVSALEM ad sepulchra

plurimorum PROPHETARVM, me quodam bene literato IVDÆO TEV-

TONICO ducente. Quæ sepulchra IVDÆI consuecerunt visitare.

Et procedens redii petrasiens iterum CIVITATEM SANCTAM,

exiensque de porta eius BARIOLA supra VALLEM IOSAPHAT, veni ad

locum, vbi S. PROTOMARTYR STEPHANVS lapidatur, & à SAVIO ve-

stes lapidantium conseruantur. Ibi B. STEPHANVS CHRISTVM à dex-

tris DEI cernit, qui pro lapidantibus orando, spiritum moriens Chri-

sto commisit.

Inde descendit ad vallem sanctissimam IOSAPHAT, supra quam

situata est ciuitas sancta sine medio, in qua torrens CEDRON, quon-

dam fluxit suis temporibus, ex aquis pluvialibus coacrescens: iuxta

quem in pede montis OLIVETI erat hortus, quem DEI filius intrare

consuetus fuerat. Postquam à discipulo traditus est: ibidem à tradito-

re improbe osculatur, capitur & ligatur, auricula MALCHO amputa-

tur, & sanatur; tanquam ouis ad victimam innocens ducitur, discipu-

lique electi fugiunt, beneficiorum DEI immemores, illumque solum

relinquent, qui si ipsos, mundumque relinquenter, pariter in nihilum

deciderent, nec in le possent persistere ad momentum.

In huius vallis principio à sinistris est Ecclesia beatissimæ VIR-

CINIS, in quam descenditur per plures gradus lapideos, quia pro ma-

iori parte sub terra est, quod credo etiam ruina ciuitatis HIERVSALEM

vallem replentibus accidisse.

Hæc Ecclesia non pulchra, sed devota est, cuius medio in paruo

turgio SEPVLCHRVM MATRIS DEI ostenditur, in quo ab APOSTO-

LIS aspergitur tumulata.

Supra sepulchrum eius pulchram feci celebrari MISSAM DE AS-

SUMPTIONE ipsius VIRGINIS GLORIOSÆ.

Hic locus omni deuotione reuerendissimus fidelium animis at-

tollitur, vbi templum DEI, sacrarium spiritus sancti, monsque solem-

nissimus, de quo excisus est lapis angularis, sine manibus ponitur, re-

Rcipi-

NE.

MJSJ
om. b.
SIV
27

cipitur, & quamuis paucō tempore continetur. Non enim diu corpū illud sanctissimæ Virginis ibi dimissum est, sed statim anima resumpta, resurrectionis & immortalitatis dotibus, æternisque præmij gloriatur.

Propè hanc Ecclesiam sub rupe locus est, vbi Dei filius prostrat⁹ in terram, sudore sanguineo decurrente, acerbitatē mortis, humana conditione, quam Dei verbo unita prenouerat, naturaliter abhorrente, quod manifeste edoceuit, se naturam nostram veram, sine culpa tamē humanis passionibus subditam, in omnibus assumpisse.

In hac etiam valle in pede montis, super quem sancta ciuitas constituta est, sub terra quadammodo sunt NATATORIA, SILOE, fons scilicet Christi Euangelio non ignotus.

Ex opposito ciuius statua quedam lapidea bona magnitudinis, & artificioa cernitur, quam, ut dicitur, ABSALON, ob memoriam sui, fieri præcepit, & in l. Regum manus ABSALON appellatur.

Super vallem IOSAPHAT versus Meridiem est ager ille ACELDEMA in sepulturam peregrinorum; pretio Christi sanguinis comparatus, vbi multorum corpora sanctorum requiescent, sub quo in petris excisa sunt multorum Christianorum habitacula, & oratoria gratioſa.

In hac S. valle IOSAPHAT CHRISTVS ad iudicium venturus creditur, post finalem resurrectionem corporum, auctoritate iudicaria, vnicuique secundum opera, quæ egit, mercedem propriam redditurus.

In prædicta etiam valle locus ostenditur, vbi PETRVS verè penitentis amarè fleuit, de eo, quod nouisse se, denegauerat SALVATOREM.

Propè etiam locus ostenditur, vbi ille miserrimus TRADITOR impenitens penitendi misericordia infinita, tanquam alter CAIN, horribiliter desperatione obstruxit osium, laqueo mortis se suspendens, scipsum vita corporis & animæ nequiter spoliavit.

His visis, conscendi ad MONTEM SANCTVM OLIVETI, ab oliuis nomen habentem. Nam oliuae in ipso & circa ipsum plures sunt.

Inter ipsum montem & ciuitatem sanctam solum interest vallis IOSAPHAT. Et quia prædictus mons altior est, quam ciuitas, & mons STON, & vallis etiam intermedia non est multum lata. De ipso monte ciuitas intrinsecus in magna parte potest prospici & templum, quod à turri de ipso quilibet poterit clarius intueri.

Mons iste præclarus ad Orientem ex opposito ciuitatis, & templi, est pulcherrime situatus, in quo DOMINVS caelos ascendit, discipulos

Hodæporicon ad Terram sanctam.

fulos ad euangelizandum misit, baptizandi formam dedit, credenti-
bus aeternæ salutis præmium repromisit, suis finaliter benedixit, visio-
ne Angelica confortauit: de secundo eius aduentu iudicario certos
fecit. Hunç etiam montem Dei filius antè hæc opera, cum discipulis
frequentius visitauit.

In monte OLIVETI VESTIGIA quædam apparent in petra, quæ
sunt, ut dicitur, DOMINI ascendentis; in quo loco pulchra fuit Eccle-
sia, sed (heu) nunc plurimum dissipata.

Propè est BETPHAGE, vnde Dominus discipulos in ciuitatem
misit, ut a sinam & pullum adducerent, quibus, ut Deus magnifice re-
cepimus à populo. Euangelica historia memoratur.

Postradie veni in BETHANIAM, in clivo montis OLIVETI, versus
Orientem sitam, domum MARTHÆ & LAZARI fratris eius.

Hic fuit singulare hospitium DOMINI vstatum, ubi CHRISTO
felix MARTHA sollicitè ministrabat, MARIA MAGDALENA pedes Do-
mini non relinques, diuinitatis mysteria dulcissimè hauriebat.

Hic dulce Dominus, pietatis fons lachrymatus est, misericor-
dia riulum necessitatis tempore non obstruens, sed deuotè pœnitent-
tibus ipsum distribuit copiose. Hic quadriguanus LAZARVS mortuus
resuscitatur, futura resurrectione, tamen facti evidentia, quam MAR-
THA confessione, lucida visione comprobatur.

De hoc sancto loco parua dieta est ad IORDANEM, deserto quo-
dam monteo medio existente, quo Iemiuuus relictus à latronibus,
SAMARITANI misericordia releuatur.

In fine huius deserti mons altus est, in quo 40. diebus & 40.no-
tibus DOMINVS dicitur ieunasse, & illuc ductus a SPIRITU SANCTO,
ut à dæmonে tentaretur; cuius tentationem ibidem auctoritate diu-
nay, virili animo superauit.

In altitudine huius montis fuit Ecclesia, & circa medium eius
est excisum eremitorium valde gratum, GEORGIANI CHRISTIANI
tenent SCHISMATICI, qui me receperunt plurimum gratiose.

Infra hunc montem versus planiciem IORDANIS, est hortus &
fons pulcherrimus atque magnus, circa quem B. ABRAHAM de CHAL-
DÆA præcepto Dei veniens, aliquandiu dicitur habitasse; ubi & altare
ædificauit, nomenq; Domini inuocauit. Vnde hodie HORTVS ABRA-
HAM nuncupatur.

Positæ cveni in HIERICO, quæ in ipsa valle IORDANIS sita est, &
R. 2 nunc

MSS. 3
S. IV
27

nunc casale est, olim fuit fortis ciuitas & amoenus, quam Iosephus De Israhelius miraculosè cepit.

Inter omnes ciuitates terræ promissionis primum funditus precepto Domini ipsam destruxit, ac renouantem fundamenta, in perpetuum maledixit.

De hac tamen ciuitate sola RAB meretrix, quæ nuncios receperat, & occultauerat, in columnis cum sua progenie conservatur.

Propè hunc locum à dextris, vix ad tria millaria, est MARE MORTVVM, circa 40. millaria in circuitu habens, foetens & horridum, locus detestabilis, & abiectus, vindicta Dei manifestum indicium, in cuius loco SODOMA & GOMORRA cum aliis duabus ciuitatibus naturaliter delinquentes, supernaturali acerrimè cœlesti cauatae sunt submersæ.

Ad quem locum cum ire proponeremus, SARACENVS interpres mihi dixit, Pro locis, quibus Deus benedixit, peregrinus venisti: non debes ad loca accedere, quæ maledictionem Domini promeruerunt. Quo verbo adificatus, & rationabiliter retractatus, directum iter ad IORDANIS flumini prosequeris.

Circa mare mortuum à dextris versus montes Israël, vxor Loth contra mandatum Dei respiciens miraculosè in statuam salis versa est, utrum aliquid de ipsa manserit, pro certò non potui informari.

Et propè est ciuitas paruula, SEGOR, quæ oratione Loth saluta est, cui mons supereminet, in quo cum filiabus incestu egit Loth, quæ de patre inebriato per eas, concipientes, Moab & Ammon filios genuerunt.

Quæ patria, IDUMÆA, siue mons SEIR, seu EDOM dicitur in scripturis.

Reg. 35: CADESBARNE quoque ad AVSTRYM contra MARE RUBRVM situata est; infra quam CARMELVS est, in quo NABAL in deserti confinibus habitabat.

Vltra MARE MORTVVM versus Orientem, extra fines terra promissionis, est castrum fortissimum in montanis, quod Latinè MONS REGALIS dicitur. In ARABICO autem TRACKH, olim fuit CHRISTIANORVM, nunc verò est SOLDANI, ad quod in periculis confugit, thesauremque, ac prolem ibidem aliquoties conseruari, quia mutatissimus locus est totius SYRIA & SOLDANI dominii.

In hac parte dicitur, quod sub castro in villa, quæ Solackh dicitur,

tur,* in terminis est Christianorum schismaticorum, circa 40. millia- * locus vi-
ria comitoretur de illis partibus mundi. ziosum.

Defluvio Iordanis, & locis sanctis, quæ sunt in
itinere versus Galileam, & in Galilea
de mari Tiberiadis.

IX.

Praedictis inde locis diligenter visitatis, ad sacrum IORDANIS flu-
uium perueni, in quo more solito balneatus sum cum ceteris pe-
regrinis.

Hic fluvius non est magnus, nec multum profundus, limosum
fundum habens, & bonos pesces, dulcis saporis aquam continens.

Versus Septentrionem circa quatuor dictas de hoc loco in radi-
cemontis LIBANTI, scaturiens ex duobus fontibus IOR & DAN, colle-
ctusre & nomine trahit originem propè per locum, ubi CHRISTIANI
communiter balneantur, in MARE MORTUVM prædictum dilabitur,
& non apparet ulterius, inibi absorberetur.

Ach, quod tam sacer fluvius & delectabilis, tam detestabili la-
cui admiscetur!

In hoc sanctissimo fluvio Dei filius ab altissimo præcursori ba-
ptizatur, vox Dei Patris auditur, Spiritus sanctus in specie columba
descendens cernitur, lumen regenerationis efficitur, vnde natura-
libus supernaturale Dei donum ad ablutionem peccaminum ero-
gatur.

Hunc fluum siccō vestigio filii ISRAEL transierunt, 12. lapides
de ipsius fundo secundum numerum duodecim tribuum assumētes,
& totidem aliud sumptos in eius medium deponentes, in memori-
am miraculi perpetuō recordandi.

Vnde huius fluvii NAMAN SYRVS à lepra curatur. Et breuiter,
pluribus præmis hic fluvius diuinitùs insignitur. Circa quem beatissi-
mum IOANNES BAPTISTA moratus est, & baptismum pœnitentia
prædicavit, discipulos collegit, CHRISTVM inde monstrauit; ag-
num Dei, peccata mundi tollētem, afferuit, & veracite testimonio com-
probauit.

Circa hunc fluum plurima MONASTERIA sunt, scilicet B. Io-
ANNIS, & alia deuota, ubi CHRISTIANI SCHISMATICI tamen, vitam
ducunt.

R. 3

Et

MS. J. S. J.

27

SIV

Et propè est ciuitas HAZ, per Iosve expugnata.

In his partibus plures sunt leones siluatici, aliquoties in pecori-
bus & iumentis, damna habitantibus inferentes.

De his locis processi versus prouinciam GALILEÆ per mediā
IUDÆAM & SAMARIAM in tribus diebus. Et primò in hoc itinere di-
mittens CIVITATEM SANCTAM à sinistris, percuti in RAMATHAM
SOPHIM, in montem EPHRAIM altum, ubi HELCANA & B. ANNA
SAMVELIS mater, commorati sunt; ibidemq; sanctus Propheta natus
& defunctus.

Et sciendum, quod in hac media peregrinatione non semper se-
cetus sum publicas vias & vulgares; sed pro visitandis S. Locis, hinc
inde voluntariè multo tibi deuians.

Sic igitur procedens vterius veni in SYLO, locum sanctum atq;
amcenum, ubi ARCA DEI sub HELI sacerdoti longo tempore serua-
batur, sicut ait fructus liber Regum.

Hic vota & sacrificia populi Domino reddabant. SAMVELI pri-
mò Deus hic locutus est, & sibi inter cetera de mutatione sacerdotii
intimauit, & reuelauit.

Propè à sinistris ē GABAON, & ex opposito GABA de propin-
quo RAMA BENIAMIN, quorum locorum sacra historia recor-
datur.

Inde procedens veni in SICHEM, vel SICHAR, ubi est prouincia
SAMARITANORVM. Vallis est pulcherrima, ac fecunda, ciuitatisque
bona, quæ nunc NICOPOLIS appellatur, iuxta quam circa viam ver-
sus IUDÆAM, DOMINV cum muliere SAMARITANA, propè puteum
loquebatur; qui adhuc ibidem ostenditur, sed aliquantulum obstru-
ctus est; supra quem locum olim pulchra erat Ecclesia, nunc pluri-
mum dissipata.

Non longè est sepulchrum beatissimi JOSEPH Patriarchæ, cuius
ossa de ÆGYPTO sunt ad ipsius præceptum à filiis ISRAEL transpor-
ta. Hunc locum IUDÆI plurimum reverentur.

In prædicta ciuitate DINIA filia Iacob rapta est; sed crudeli vin-
dicta viris habitatoribus à duobus Iacob filiis postmodum est illata.

In hac prouincia SAMARIA, est quædam singularis secta homi-
num, qui SAMARITANI specialiter nominantur. Hi nec legem CHRIS-
TIANORVM, aut IUDÆORVM, aut SARACENORVM; sed nec PAGANO-
RVM sectantur. Sed vnu Deū dicentes, opiniones, ritus colendi, ac mo-
dos viuēdi mirabiles tenet, se solos reputantes de numero saluandorū,
& etiam

& etiam in habitu ab aliis distinguuntur; quia tamen in his partibus habitantes generaliter inueniunt capita linteis longissimis, CHRISTIANI quidem flavis, SARACENI albis, IUDÆI glaucis; horum capita rubcis inueniuntur, qui se dicunt Dei dilectissimos inter omnes.

De SICHEM inde processi versus SAMARIAM, quondam famosam ciuitatem, caput huius provinciarum, quae est SAMARIA, ab hac nominatur ciuitate, nunc SEBASTE dicitur, & multum assimilatur ciuitatis sanctæ in situ.

In hac fuit caput & sedes regni decem tribuum, postquam sub filio SALOMONIS, se à tribu Iuda & Benjamin diuerserunt; successores quidem secundum sanguinem DAVID, regnantes in HIERUSALEM; Reges IUDA: regnantes vero in SAMARIA, per 10. tribus; Reges ISRAEL dicebantur.

Hæc egregia ciuitas desolata est, & destrœta, in monte valde pulchro sita, aliquas ECCLESIAS CHRISTIANORVM adhuc, & præcipue vnam valde pulchram habuit, cuius adhuc apparent vestigia, ubi caput beatissimo IOANNI BAPTISTÆ absconditur, & corpus accephalum a discipulis tumulatur.

Qui sacer locus illius effusione sanguinis consecratus, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit, hoc ipsa veritate, quæ CHRISTUS est, attestante. Huius ciuitatis ruinæ magna nunc apparentes, multitudine columnarum marmorearum, innumerositas monumentorum mirabilium, in ipsa, & circa ipsam adhuc existentium, antiquam nobilitatem eius, & excellentiam indicant evidenter.

Inde procedens, montanis dimissis, veni in planitatem GALILÆÆ. Est autem GALILÆA provincia terræ promissionis melior & fertilior, planis montibus atque vallibus multum grata, corsicatione, vestigiis, ac miraculis SALVATORIS multum illustrata, in cuius planicie ad declivis montium, hæc loca sancta sunt ad memoriam meritò reuocanda; videlicet, NAIM, ciuitas CAPHARNAVM, BETHSAIDA, CANA GALILÆÆ, &c. vbi, quæ prodigia Dei filius fecerit, hic differere non oportet; cum hæc sacra Euangelia eludent, in Ecclesiis quotidie recitata. Confert supra modum homini, loca hæc sanctissima videre: quia deuotio excitatur, & videtur, quod vita CHRISTI, ac APOSTOLORVM, quodammodo oculis inspiciat corporis, & ex hoc in corde fundatum fidei firmius stabilitur.

Circa fines GALILÆÆ à dextris, sunt mōtes GELEOE, vbi gladiis infidelium primus Rex populi ISRAEL SAVL, & cuius filius IONATHAS cecide-

MJSJJ

27

SIV

27

cederunt, super quorum morte piissimus Rex DAVID planxit nobiliter, verba exprimens conuenientissima signa cordis amicabilis ac sinceri.

Ex quorum sententia subtiliter trahitur, quantum amor amicitiae maior est amore concupiscentiae, naturali amori inter mortales maximè coequatus. Qui amor videtur esse, quem ad filium vnguentum fert indissolubili glutino GENITRIX virtuosa.

In prædictis montibus subacto fidelis populo, ARCA DEI ducitur captiuata.

E contra est mons HERMON, circa quem dilabitur torrens CYS-
SON, circa ipsam GALILÆA planitiem, quæ campus ESDREON ap-
pellatur.

His visis, quodam monte transito, dimissa planicie GALILÆA,
veni ad sacratissimam ciuitatem NAZARETH, quæ nunc villa campe-
stris est, immunita, domibus & habitaculis non collectis, sed ab ini-
cet distantibus & dispersis.

Est autem NAZARETH sita in valle parvula, plurimum genera-
sa, montibus vnde circumclusa; hæc est propria ciuitas Redem-
ptoris, vnde secundum carnem traxit originem, vnde & dicitur NA-
ZARENVS.

In hoc loco florido initium nostræ salutis effloruit, dum Deus
Dei filius ex castissimis sanguinibus virginis carnem assumens, hu-
manam naturam diuinæ hypostasi ineffabiliter coniunxit, quo vir-
tute Spiritus sancti feminam originalis peccati eradicauit surculum,
qui per feminam fuatione maligni spiritus in salutis perniciem diu-
nius germinauit.

Mens non concipit, lingua tabescit, Scriptura titubat huius præ-
rogatiuum inestimabilem enodare, ubi ARCHANGELVS optimi nunc-
cii baiulus, VIRGINEM glorioissimam salutando, cœlchi Patri proca-
tur sponsam, ut consensu requirito & debitè adhibito, dignè a Dto
prælecta puella fieri Dei genitrix mereretur.

Breuerit: in hoc loco conceptio CHRISTI, omnium operum
Dei mirabilior, in virginali utero celebratur, & obumbratione sancti
Spiritus fecundatur, fructu nobilissimo, cursum naturæ ordinem ac
limites excedente.

In hoc loco pulchra fuit Ecclesia, atque magna, sed (heu) quasi
destructa est; parvulus tamen locus in ea coöpertus est; & à SARACE-
NIS diligenter custoditur; ubi circa quandam columnam marmore-
am,

NB.

am, afferunt esse perfecta CONCEPTIONIS MYSTERIA veneranda.
In NAZARETH sunt pessimi SARACENI, & videtur, quod fuerint ab antiquo, ut rationabiliter dictum sit, in Euangeliis A NAZARETH potest aliquid boni esse? Ad infinitam siquidem Dei bonitatem pertinet, ut ex malis bona eliciat, & ex pessimis optima dilpositione suauissima preferantur.

In predicto loco, CHRISTI INFANTIA peragitur, à parentibus educatur, proficit atate & gratia, ac pro nobis parentibus subditur, cuius nutui obediunt vniuersa.

Fons ibidem ostenditur, ubi puer Iesvs balneatur, vestes quoque per MATREM VIRGINEM abluitur, de quo & portare aquam ad hospitium, pro humanis necessitatibus, tam mater, quam filius consuerunt.

In loco CONCEPTIONIS pulchram feci celebrari MISSAM de ANNUNCIACTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS.

Propè ad unum milliare locus est, qui SALTVS DOMINI appellatur; ubi CHRISTVS ductus est, ut præcipitaretur de monte cacumine, transiens per medium illorum ibat, Euangelio attestante. De loco processi versus montem THABOR, in media die. Hic mons formosus est, & benè altus, in quo quondam erat ciuitas, fortis, ubi & apparent aliqua CHRISTIANORVM Ecclesiæ, deuotione congrua venerande.

Ibi enim CHRISTVS frequenter discipulos docuit, arcana secretorum celéstium reuelauit, ut ex hoc nō immerito singularis schola Domini nuncupetur, cœlum Empyreum repræsentans, ubi DOMINVS noster trânsfiguratus est, vox patris audita est, MOYSES & HELIAS visi sunt à tribus discipulis, ad hanc visionem assumptis, felicitatisq; æterna dulcedo ibidem quodammodo est prægustata. Vnde Petrus Domino dixit confidenter: Domine bonum est nobis hic esse, &c. quæ sequuntur.

De loco veni ad mare GALILÆÆ, & ad TIBERIADEM ciuitatem, supra ipsum mare sine medio situatam.

Est autem mare lacus non multum magnus, scilicet, forsitan circa 40. millaria in circuitu continens, per cuius medium fluit IORDANIS bonos pisces habet, in magna copia, & aqua eius dulcis est, ac amabilis ad bibendum. Ciuitas vero ipsa TIBERIAD IS parùm valet; & parùm valuisse videtur etiam ab antiquo. Sunt tamen bona balnea naturalia apud ipsam.

MS. 15. 1. 27

SIV

27

Sanè supra mare GALILÆA prædictum CHRISTVS siccis pedibus ambulauit; ipsum tempestuosum ac ventis agitatum, tranquillum esse iussit; PETRVM, dum in ipso mergi cœpisset, erexit; post resurrectionem suam ibidem discipulis apparuit; ipsos pescari iussit, corumq; retia magnis piscibus adimpleuit.

In hoc mari DOMINVS s̄p̄e nauigauit, circa ipsum PETRVM & ANDREAM vocavit, multaq; millia hominum paucis panibus & pesculis satiauit; & sua frequenti præsentia partes has dignas fecit, pariter & deuotas.

Aphes;

In capite huius maris, versus SEPTENTRIONEM est forte castrum ac altum, IAPHET nomine, ac villa eiusdem nominis delectabilis, atq; magna. Hoc fortalicum secundum gradum tenet post TRACKH, cuius supra meminimus in his partibus. Verùm intra terram promissionis, huic castro aliud in fortitudine & ædificiis non æquatur.

Non longè ab hoc castro circa 30. milliaria est ciuitas DAN, alter terminus terre promissionis in longum versus SEPTENTRIONEM, que & VELENA, & CÆSAREA PHILIPPI dicitur; in pede montis LIBANI delectabiliter situata: & vocatur haec regio intermedia GALILÆA superior, aut SALTVS LIBANI, aut terra ROOB, vel DECAPOLIS, in scripturis.

Secundum
Brocardū
& Salme-
ronem la-
titudo ter-
re promis-
sionis non
excedit
æleucas.
eius verò
longitudo,
que sumi-
tur ab A-
quiloniæ ad
Austrum
vix conti-
net 120.
leucas.

Et sciendum est, quod terra promissionis in longitudine, scil. à DAN usque BERSABEE, de plaga SEPTENTRIONALI versus AVSTRALEM protensa, tenet circa 140. millaria; in latitudine verò, ab Oriente in Occidentem, scilicet à finibus HIERICHO usque ad IOPPEN, parùm ultra 40.

Vnde cum sit à DEO suis terminis coarctata; admirabilis numerositas populi ISRAEL, nobilitatisq; magnitudo, potentia diuinarumque ipsius singularis excellentia, merito debet attribui miraculorum operatrici diuinæ potentiaz, & non humanae industriae, cursuq; vita to nature, qua patientia ac Dei gratitudo, prouidentia, ipsi filii Israël prædictas partes conquerere, inhabitare, & usque ad præfinitum tempus meruerunt, secundum incomprehensibilis Dei iudicia possidere.

¶ : (3)

De

De Damasco & terminis eius, ac montibus Libani, ac de fine peregrinationis.

Terra igitur sancta promissionis in longitudine, latitudine eius, ac in circuitu solicite perquisita, IORDANEM transiui ponte in eodem loco, ubi ipse fluuius se a mari GALILÆA separat: deinceps fluenta proprii luci, ex terra sancta lateribus usque ad voraginem lacus mortui conseruando.

In hac terra ultra IORDANEM duæ tribus & dimidia possessio nem hereditariam fortitæ sunt, mandato Domini, sicut textus sacræ paginæ attestatur, ubi est terra Regis BASAN, à terra GERASENORVM, CEDAR quoque, ac villa COROZAIM circa IORDANEM, & in circuitu maris TIBERIADIS collocata.

Inde procedens, in tribus diebus veni ad DAMASCUM, ciuitatem nobilem ac formosam.

Hæc regio intermedia, quæ est à monte HERMON, maioris plæge, scilicet Septentrionali partim, & orientali, usque ad mare GALILÆA, vocatur regio TRACONITIDIS; & partim terra Hvs beatissimi Ios habitatio memoranda.

Et sciendum, quod tota regio, quæ est inter desertum AEGYPTI & ARABIAE protensa de Austro in Septentrionem usque ad CILICIAM, ARMENIAM & CHALDAEAM, & ab Oriente deserto magno usque ad Occidentem, mare Mediterraneum, generali vocabulo SYRIA appellatur, in plures speciales prouincias subdivisa.

Partes namque eius sunt, SYRIA PHOENICIS, PALESTINA, IUDÆA, GALILÆA, MESOPOTAMIA SYRIÆ, SYRIA LIBANI, ac SYRIA DAMASCENA, & aliae huiusmodi, quas sigillatim distinguere longum esset.

Ceterum, propè DAMASCUM, versus terram promissionis locus est, ubi SAVLVIS diuinus prosternitur, PAVLVVS erigitur, CHRISTO informantि consentit, & de persecutore vas electionis fit, annuente clementia SALVATORIS.

In DAMASCO ipse PAVLVVS tribus diebus non videns, permanxit, nullo cibo corporali penitus recreatus. Quo triduo ad tertium cœlum rapiuntur, arcana verba audiens, quæ non licet homini loqui, ut ipse de se loquens, in epistola manifestat.

Dicit B. Aug. in l. de videndo Deum, & super Genesim ad litteram

A.J.S.J.J
M. D. M.
S IV
27

ram, quod in hoc raptu tridiano Paulus Deum per essentiam videt, in carne scilicet viens, sensibus tamen carnis minime quoad hanc visionem vtens; oculis namque corporalibus, quamquam cognitiva virtute oculo corporeo alligata, nullo modo diuina essentia ab aliquo poterit intueri; sed solus intellectus videre ipsum diuinum esse poterit..... quadam lumine gloriae illustratus. Et D. Aug. ibidem dicit, quod nulli in hac vita datum est, Deum per essentiam videre, nisi primis duobus Doctoribus; PAULO quidem Gentium, & MOysi IUDÆORVM.

O quanta profunditas Sapientiae infinita, quæ scipsa, clare & immediate primos magistros diuinae veritatis voluit informare, ut irrefragabilibus fundamentis discipline innixi, docerent instantius, riuis beatificis humana corda arida irrigando, quos riuios à primo veritatis fonte, clara visione nouerant effluxisse!

Est autem DAMASCUS, cuius ante memini, antiquissima, pulcherrima, & ditissima ciuitas omnibus mercationibus, & viciualibus praabundans. Species namque INDICÆ, petra speciosa, sericum plurimum, aromata infinita, illuc de BALDACO, & ceteris partibus Orientis, PERSIA & INDIA, & à maiori ARMENIA in camelis & aliis same-riis adducuntur; & inde per mercationes ad alias mundi partes longè & late vnde disperguntur.

Dicitur autem DAMASCUS à mari tres dietas, multum delectabilis existens aquis fluentibus mediocribus quantitate, fontibusque præclaris intus & extra irrigata, in circuitu sui hortos habens, ut dicitur, circa 40. millaria, arborum amoenitatem, & utilitate fructuum, ultra quam credi potest, humanis solatis & refocillationibus adaptatos. Dicitur, quod quilibet hortus custodibus ex æquo diuisis, ad minus habeat tres cuffodes: quod si verum est, ex ipsis consurgit in summa personarum maxima multitudo.

Ipsa ciuitas in se multum populoſa est, artifices mechanicos diversi generis optimos habens, & præcipue Medicos excellentes.

De DAMASCO processi ad IMAGINEM B. VIRGINIS PADERBONY, ubi est locus fortis supra petram, ad modum castelli muratus in circuitu, in quo satis pulchra est ECCLESTA.

Retro maius altare ipsius in muro tabula quadam retro nigra & humida cernitur, in qua imago glorioſa VIRGINIS olim depicta fuisse asseritur, sed propter vetustatem nihil de lineamentis figuræ distinguitur in eadem, nisi quod aliqua parte color rubeus mihi videbatur aliqua-

Hodæporicon ad Terram sanctam.

qualiter apparere. Hæc tabula mediocris quantitatis; super vas quod-dam marmoreum posita intra muros cancellis ferreis premunita, de ipsa visibiliter oleum quasi continuè stillat, quod MONACHI recipien-tes de vase marmoreo, quod subitus est, per cancellos immisso cochlea-rio peregrinis distribuunt satis largè: per omnem modum videtur esse oleum oliuæ.

Dicitur, quod aliquando de hac imagine oleum miraculosè flu-xit; sed si hoc quidem modo fluit, diuinò fluat miraculo, rationabiliter dubito, & etiam multi alii de veritate huius facti non immerito al-tercantur.

Monachi & Moniales in prædicto clauistro sunt degentes.

In casali pulchro, quod sub monasterio est, Christiani schismati-ci commorantur, bono vino satis abundantes.

Hic locus à DAMASCO sciungitur ad medium diurnatam.

Inde recedens, dimissis à dextris ANTIOCHIA, qua quondam ABBATA dicebatur, olim magna & multum nobili ciuitate, & TRIPOLI famosa, qua olim CHRISTIANORVM fuerunt, nunc vero per SARACE-NOS deserta sunt & destructæ, processi versus BRUTUM in tribus diebus, in via media transita valle BOCKHAR, que fertilissima & pulcherima est inter montes hinc inde protensa, riuß, pratibus, pescibus, pecoribus prædita; ac SARACENIS habitatoribus bene plena, veniad morites LIBANI gratiosos, qui in longum protenduntur, versus AVSTRYMA CILI-CIA, qua nunc ARMENIA minor dicitur, propter ARMENIOS, qui eam vi ceperunt, & tenent omnibus habitatoribus subiugatis usq; ad DAN, terra promissionis initium; de quo feci superius mentio nem.

Hi montes pleni sunt pulcherrimis casalibus, habitatoribus, fru-cibus, fontibus, ac ceteris opulentissimis temporalibus, cedris, cypresibus pluribus huiusmodi odoriferis non carente.

In parte LIBANI propè TRIPOLIM, qua vulgariter MONTANÆ NIGRA dicitur, commorantur circa viginti milia CHRISTIANORVM, ut dicitur, boni sagittarii, ac viriles homines, Passagium Latinorum plurimi exstantes, à iugo SOLDANI, plus, quam alii CHRISTIANI desi-derant releuari.

Sicque LATITUDINE Libani transcendens, perueni ad BRUTENSI-VM splendidissimum oppidum supra mare optimè situatum, arboribus, hortis, fructibus, fontibus prædecoris.

Huius in Prologo DIGESTORVM meminit IMPERATOR.

Supra BRUTVM versus CILICIAM est locus fortis, qui BIBLIVM

MSS.

27

142 *Guil. de Baldensel Hodæpor. ad Terram sanctam.*

nominatur, supra mare; & propè ex alia parte est SIDON ciuitas, atque
SAREPTA SIDONIORVM, quorum locorum sacra pagina recordatur.

Existens ergo in BRVTE, qua nunc SARACENORVM est domi-
ni, peregrinatione mea, annuente DEO, prosperè peracta, desiderau-
multum recedere, & ad portum CHRISTIANORVM nauis pertingere, ut
post laborem, aliquali quietis commido recrearer. Spiritualiter, por-
tus CHRISTIANORVM Christus est, ad quem post laborem huius vix &
in labore presentis misericordie, nos conuenit attentius aspirare, ad ipsum
accedendo continuè non passibus corporis, sed desideriis purè men-
tis.

H C.
Nauim igitur cordis extra pericula fluctuationum, & tempesta-
tum celestium, in ipso firmare & statuere cupientes, erigamus velum
affectus, dirigamus nos gubernaculo intellectus, corrigamus remi-
gando virtutis operibus, ut finaliter prora fidei, dimisis, ac progre-
dientibus funibus spei, charitatis anchora in eterna felicitate merca-
mur Dei fauente gratia feliciter stabiliri. Quod nobis præstare digne-
tur, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Explicit tractatus de quibusdam Ultramarinis partibus, & præ-
cipue de terra sancta, compilatus per nobilem virum Guilielmum de
*Baldensel, ad instantiam Reuerendi Patris & Domini, Domini
Thalayrandi Petragorici, tit. S. Petri ad vincula Presbyteri Cardina-
lis, Anno 1336.

Note: fol. 103. Versu 1. sic distingendum censeo: quo attingit Hispaniam & Striculum, Demorach vulgariter dicitur. Demorach inter pretor, De Majorica. Indicasse sufficit nihil opus pluribus explicare.



THEO-